

ANTIQUISSIMAE  
CONSTITUTIONES SYNODALES  
PROVINCIAE GNEZNENSIS

200

Fr. Hlojzy Hassa

HUBE

H. Hassa Hlojzy.



*Hr. Hlojzy Hassa*  
*P. S. M.*

**ANTIQUISSIMAE**  
**CONSTITUTIONES SYNODALES**  
**PROVINCIAE GNEZNENSIS**

**MAXIMA EX PARTE**

NUNC PRIMUM E CODICIBUS MANU SCRIPTIS TYPIS MANDATAE.

EDITIONEM CURAVIT

**ROMUALDUS HUBE**

J. U. D. OMNIUM RUSSIARUM IMPERATORIS, REGIS POLONIAE ETC., ETC., ETC.,  
A CONSILIIS SECRETIS, SENATOR, ORD. IMP. REG. AQUILAE ALBÆ EQUES.



*H. Hassa Hlojzy.*

**PETROPOLI**

**ANNO 1856.**

R4h2f4

ANNALES IMPERIALES

ANNALES IMPERIALES

ANNALES IMPERIALES

MAGAZINE EX PARIS

ANNEE 1800 EDITIONS DE L'IMPERAIRE DE LA FRANCE

X-84/4076  
215, 2.000,-



567867  
III

Typis II Sectionis Cancellariae Imperatoris.

*H. Hrojz by Hassia  
P.S. M.*

SANCTISSIMO PATRI

PIO IX

PONTIFICI MAXIMO

H A N C

ANTIQUISSIMARUM CONSTITUTIONUM

SYNODALIUM

PROVINCIAE GNEZNENSIS

EDITIONEM

sacram esse voluit

EDITOR.

*H. Hassia Hrojz*

SOCIETAS PATRI

PIO IX

PONTIFICIAE MARIANO

EDICIO

AZIONIS SEMPER CONSTITUTION

SYNOCLITUM

PROLIGA GEMINAEIS

EDITION

ESTERIORIS CENSUS REFORMATI

EDITION

1870  
M. J. M. M. M.

sticis quam eis omni. 207. \* magis sicut illi ut  
alii in locis non nullis monachis et monachis  
habetur latente et in tunc remaneat  
naturam oitis plus bonum. magis conlocatae eadē  
est invictum. sit posse upsum iuri. sed ne  
ille. quod conlocari dicitur. in pidditione est  
autem pidditione. quod conlocari. quod conlocari  
possunt; in omnem copiam primum optinere non il-  
lud. Iulianus duxit anno 1830. et istud secundum C.  
S. locutus est. Secundum. II. etiam. ut locutione  
invenies monumenatum patrum. bestiarum. et  
tunc mihi. es das es ergo omnes seruit letum de

## BENEVOLO LECTORI.

Visitanti mihi, ante hos viginti annos, bibliothecam  
**Imperiale Petropolitanam**, felici fortuna incidit in  
manus codex manuscriptus, regnante Augusto II, Po-  
loniarum Rege, a Comite Joanne Andrea Zaluscio, su-  
premo regni referendario, e Suecia Varsaviam delatus,  
continens antiquissimam collectionem statutorum sy-  
nodalium ecclesiae Gneznensis, nihilque mihi optatius  
et sanctius visum est, quam ut eum transcriberem et  
si par esset, aliquando typis ederem, quum ad promovendum  
historiae patriae studium, tum ad illustranda  
praesertim incunabula et progressus ecclesiasticarum

in illis terris legum \*. Non tamen sine magno dolore intellexi, codicem Petropolitanum multis in locis variis defectibus laborare et in fine mancum esse, ita ut antequam alias hujus generis, magis correctos codices invenirem, vix posset publici juris fieri. Non multo post comperi quidem, in bibliotheca cathedrali Wratislaviensi, plurimos codices antiquarum syndorum provinciae Gneznensis, eosque optimae notae, asservari; at eorum copiam hucusque obtinere non licuit. Interea quum anno 1850 Varsaviae essem, C. Strocnzyński Senatus Warsaviensis referendarius, indefessus monumentorum patriae perscrutator, obtulit mihi, ea qua est erga omnes earum rerum stu-

---

\* Codex Zalusianus in catalogo Manuscriptorum bibliothecae Petropolitanae libris ad *Jurisprudentiam* spectantibus adscriptus, et inter libros folii magnitudine numero 31 insignitus, praefert talem, quondam a doctissimo Janoccio, bibliothecae Zalusianae bibliothecario, confectam inscriptionem:

Constitutiones ecclesiarum Poloniae, a domino Jaroslao de Bogoria, Divina providentia, sanctae Gnesnensis ecclesiae archiepiscopo, una cum venerabilibus fratribus coepiscopis, Bodzanta Cracovien. Mathia Vladislavien. Clemente Plocen. Ioanne Posnanien. et capitulis ipsorum, nuntiis etiam atque procuratoribus domini Przeczlai Wratislavien. et Henrici Lubucen. episcoporum, in Kalisz opido Gnesnensis dioeceseos, anno Domini M.CCC.LVII octava die mensis januarii congregatis, sancitae. Insertis veterrimis praedecessorum suorum, piae memoriae, Fulconis atque Janussii, Jacobique Swincae, archiepiscoporum Gnesnensium, Guidonis quoque S. Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, atque Philippi episcopi Firmani, Apostolicae Sedis in Polonia legatorum, statutis. Codex autographus, Augusti II. Regis temporibus, a Sueciae militiae ductore erudito, aliis cum spoliis ecclesiasticis ac literariis, Upsaliam Suecorum Athenas devectus, ibique anno salutis M.DCC.XLI, a doctissimo comite Josepho Andrea Zaluscio, supremo tunc regni Poloniae refendario, recuperatus.

In nitidissima aere Stanislai Augusti Regis comparata ligatura codicis, haec praeterea leguntur verba:

Stanislaus Augustus Rex Poloniarum seculorum posteritati vindicat,

diosos, summa benevolentia, simillimum Zaluseiano codicem, ex quo lacunae ejus expleri, et menda ab incauto scriba commissa, etsi non omnia, maxima tamen ex parte, corrigi possunt. Quo adjutus diutius non dubitavi, ad edendas illas nostras constitutiones me accingere. Quapropter concessa nunc a Serenissimo et Gratosissimo IMPERATORE nostro ALEXANDRO SECUNDO facultate, codicem bibliothecaē Imperialis domi meae perlustrandi, atque accurate et penitus perscrutandi, non sine magna voluptate et erga optimum IMPERATOREM gratitudine ad propositum illud peragendum aggredior.

Ambo codices, quibus in adornanda mea editione usus sum, eodem fere tempore scripti sunt, Petropolitanus tamen est antiquior, ultimis nempe, ut videatur, seculi decimi quarti annis exaratus, Stroncynskianus vero demum ineunte seculo decimo quinto; at eos ex uno eodemque autographo emanasse vix ad dubitari potest, id quod patet, quum ex adnotatione in medio utroque codice posita, quam jamjam prolaturi sumus, tum ex eadem, quibus constant, partium ratione, quarum prima continet Synodicon Jaroslai de Bogoria archiepiscopi Gneznensis, altera Statuta Synodalia, edita a legatis, a Sede Apostolica, seculo decimo tertio, diversis annis in Poloniā missis.

Quis fuerit, qui duas has partes primus in unum volumen redegerit, certa conjectura assequi haud licet. Veritati tamen proximum esse videtur, hoc non ab ip-

so Jaroslao, sed potius ab aliquo privato collectore factum esse, qui transcribens Synodicon Jaroslai, non dubitavit ei adjungere aliam collectionem, jam prius concinnatam, qua continebantur constitutiones synodales, seculo decimo tertio, a legatis Apostolicis, ad reformatam in Polonia ecclesiasticam disciplinam et corrigendos tam cleri, quam populi mores, latae, quibusque addita erant quaedam Summorum Pontificum, ad eandem rem spectantia, sancita. Non minus pro certo haberi potest, alteram hanc collectionem Wratislaviae, a quodam Nicolao Boemo, ineunte seculo decimo quarto, digestam fuisse.

Haec, ut diximus, praesertim patere videntur ex annotatione, quae in utroque codice, inter primam et secundam collectionis partem, his verbis concepta legitur:

«Explicitur constitutiones Domini Nicolai Boemi, sub anno millesimo tricentesimo decimo nono, XVI kalendas februarii, per curam Stephani canonici Wratislaviensis..... His etiam Domini Guidonis Cardinalis legati similiter constitutio suffragatur, quae in principio hujus libri est adscripta».

Prima pars, quae continet Synodicon Jaroslai, exhibet, praeter statuta ipsius Jaroslai (1342+1376) in synodo kalissensi anno 1357 promulgata, constitutiones synodales archiepiscoporum Gneznensium: Fulconis (1230+1258), Janussii (1258+1271), Jacobi Swincae (1283+1313) et Janislai (1318+1341). Altera pars

v

offert synodos sub auspiciis legatorum Sedis Apostolicae celebratas, et quidem duas synodos Wratislavienses et synodum Budensem, cum constitutionibus Summorum Pontificum Martini II, Bonifacii VIII et Clementis V. \* Ordo quo dispositae sunt in Codicibus nostris singulae constitutiones hic st: e

- 1) Constitutiones Jaroslai in Kalisz a. 1337.  
*(Cod. Petrop. p. 1—7. Cod. Stron. p. 1—9.)*
- 2) Constitutiones Janislai Archiep. a. 1326.  
*(Cod. Petrop. p. 7—17. Cod. Stron. p. 9—21.)*
- 3) Constitutiones Fulconis Archiep. a. 1244 (?).  
*(Cod. Petrop. p. 17, 18. Cod. Stron. p. 21, 22.)*
- 4) Constitutiones Janussii Archiep. a. 1262.  
*(Cod. Petrop. p. 18, 19. Cod. Stron. p. 22, 23.)*
- 5) Constitutiones Fulconis Archiep. a. 1233.  
*(Cod. Petrop. p. 19—25. Cod. Stron. p. 23—27.)*
- 6) Constitutiones Jacobi Archiep.  
*(Cod. Petrop. p. 25—28. Cod. Stron. p. 27—33.)*
- 7) Constitutiones Janussii Archiep. in Camien.  
*(Cod. Petrop. p. 28, 29. Cod. Stron. p. 34.)*
- 8) Literae Jacobi Archiep. a. 1297.  
*(Cod. Petrop. p. 29. Cod. Stron. p. 35.)*
- 9) Constitutiones Fulconis Archiep. incerti anni.  
*(Cod. Petrop. p. 29, 30. Cod. Stron. p. 35—37.)*
- 10) Constitutiones Guidonis S. Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis Legati in Wratislavia a. 1266.

\* Constitutiones has pontificias alio loco excudi curabimus, quum respiciant non solum Gneznensem provinciam sed potius Universam Ecclesiam.

(*Cod. Petrop.* p. 31—56. *Cod. Stron.* p. 37—45).

**11)** Constitutiones Philippi Firmani Episcopi Legati in Buda a. 1279.

(*Cod. Petrop.* p. 56—66. *Cod. Stron.* p. 45—95)

**12)** Constitutiones Martini II Papae a. 1283.

(*Cod. Petrop.* p. 66—69. *Cod. Stron.* p. 95—99).

**13)** Constitutiones Bonifacii Papae VIII a. 1296.

(*Cod. Petrop.* p. 69—72. *Cod. Stron.* p. 99—103).

**14)** Constitutio Clementis Papae V.

(*Cod. Petrop.* p. 72, 73. \* *Cod. Stron.* p. 103, 104).

**15)** Constitutiones Jacobi Archidiaconi Leodiensis Legati, post elevationem ad summum Pontificatum Urbani Papae IV, in Wratislavia a. 1248.

(*Cod. Petrop.* p. 73—85. *Cod. Stron.* p. 104—124).

**16)** Constitutiones Nicolai Archiep. in Kalisz a. 1406.

(*Cod. Stron.* p. 125, 126).

Codici Petropolitano praeterea additus est in fronte elenches omnium constitutionum, cui, ut alio loco exposuimus \*\* in fine subjunctae sunt rubricae statutorum Cracoviensium, (quae tamen in codice ipso, ut et ultima pars constitutionum Urbani IV, desiderantur); unde conjici potest, codicem ipsum scriptum fuisse in Minori Polonia, et legum tam ecclesiasticarum

\* Cod. Petropolitanus post constitutionem Clementis Papae exhibit secunda vice constitutionem Fulconis archiepiscopi jam antea sub № 3. collocatam.

\*\* Przyczynek do objaśnienia historyi Statutu Wiślickiego. Warsz. 1852. p. 7.

quam civilium, tunc temporis in his partibus vigen-  
tium, collectionem contineri debuisse \*.

Ordo superius adnotatus, quum nihil ad illustran-  
das nostras constitutiones contribuere possit, nobis  
eundem in nostra editione immutare, et ad chrono-  
logicam temporum rationem singulas constitutiones  
revocare justum esse videbatur, praesertim quum  
interior constitutionum inter se nexus et genuina  
earum indeoles, non aliter perspici possit, nisi tem-  
porum quibus latae sunt, ratione habita.

Quod ad modum adtinet, in textu ipsarum consti-  
tutionum ad pristinam integritatem restituendo, hanc  
legem nobis imposuimus, ut quam accuratissime red-  
derentur ipsi codices, etiamsi nonnulli eorum loci,  
uti in codicibus inveniuntur, nonnunquam dubitandi  
causas offerre viderentur. Quam ob rem et locos  
spurios maluimus indicare, quam conjectura nostra  
aut supplere aut emendare.

Contextum singularum constitutionum, ope codicum  
nostrorum, in capita distinximus, cuilibet capiti nu-  
mero et speciali inscriptione, si qua in codicibus in-  
veniebatur, appositis. Adnotationes vero textui adjectas  
varietate lectionum adauximus, diligentius simul indi-  
catis locis tam conciliorum Universalis Ecclesiae,  
quam constitutionum Pontificalium, qui in synodis  
citantur. Nostrum denique esse duximus suis locis

\* Descriptionem codicis Petropolitani exhibuit jam ante nos doct. Jano-  
cius in Vol. II *Janocianorum*. Lip. et Warsav. 1779. p. 21, 22.

admonere, quae partes collectionis nostrae vel ab aliis vel a nobis ipsis jam typis mandatae fuerint.

Quales et quam abundantes, ex hac nostra statutorum ecclesiae Gneznensis editione, fructus percipi possint, videant alii; nos tantum hoc admonendum esse putamus, impressam jam a Raynaldo Synodum Budensem an. 1279, et Synodum Wratislaviae an. 1248 ab Jacobo archidiacono Leodiensi celebratam, quam rev. Ritter in libro suo praestantissimo et eximia eruditione concinnato, Historia Dioecesis Wratislavensis inscripto, germanica lingua publici juris fecit,\* in nostra collectione prima vice magis integras exhiberi; Raynaldus enim codicem Vaticanum et Vallicellianum secutus, synodum Budensem medio cap 75 abrumpit, rev. Ritter vero solum secundam partem synodi Wratislaviensis offert.

Qui denique, inter collectionem nostram et systematicam, ad formam Decretalium Gregorii Papae a Nicolao Trąba archiepiscopo Gneznensi, anno 1420, nostrarum antiquarum synodalium constitutionum conflatam collectionem, intercedat nexus, alio loco, si Deo placet, exponemus.

Nunc, candide lector, vale et his nostris studiis, qua par est indulgentia, fave.

Scribebam Petropoli  
die 20 aprilis an. 1856.

---

\* Geschichte der Diöcese Breslau, Breslau 1845.

## **1. FULCO ARCHIEPISCOPUS GNEZNENSIS.**

### **1. Synodus Siradiensis anni 1233 \***

Anno Incarnationis Dominicae Millesimo. CC. XXXIII,  
V nonas julii, in Siradia. Nos Fulco Gneznensis archiepi-  
scopus cum fratribus et coepiscopis nostris et aliis praela-  
tis ecclesiarum Poloniae, ad Synodum, in virtute Spiritus  
sancti congregati, habita diligent investigatione super  
his, quae ad honorem domus Domini et decorem Eccle-  
siae nobis commissae pertinere videbamus, constitutiones  
subscriptas, de consensu fratrum nostrorum et aliorum  
Ecclesiae praelatorum edidimus, seu innovando, seu ad-  
dendo, seu antecessorum nostrorum statuta quaedam, pro-  
ut saluti expedire videbamus, in melius reformando.

\* Synodum hanc edidimus prima vice anno 1852 in ephemeridibus: *Biblioteka Warszawska*.

Caput 1.

Statuimus igitur: ut omnia de reverentia sacramentorum et de honestate ministrorum Ecclesiae, prout in antiquis canonibus, sive in constitutionibus antecessorum nostrorum jam dudum promulgata sunt, ab omnibus nostris subditis inviolabiter observentur, videlicet: ut munditiam servent, irreprehensibiles sint in opere, divina officia devote peragant, ab indecentibus negotiis absistant, habeant tonsuram competentem, vestes in qualitate et quantitate clericali officio competentes, videlicet, ut non rubras, nec virides, nec virgultatas; nec nimia longitudine, nec aliter indecentes manicas habeant; nec consutiles calceos, nec rostratos.

Caput 2.

Super omnia autem districte statuentes praecipimus: ut omnes clerci, sicut tenentur, continentiam obseruent, ab omni genere fornicationis abstinentes, ut mundi munda pertractent ministeria; maxime in sacris Ordinibus constituti, quibus receptis, matrimonia nullo modo eis liceat contrahere, nec uti contractis, licet quondam, in minoribus existentes ordinibus, legitime contraxerint.

Caput 3.

Concubinas igitur omnes, districte praecipimus, ut a se penitus abdicent, nullomodo audentes suspectas, in domo propria vel alio loco, retinere familias. Et licet

ex constitutionibus super haec editis frequenter, propter contumaciam clericorum, parvus inde fructus provenerit, nos tamen amplius nullo modo haec pro aliqua persona volumus tolerare, et cum aliquibus talium transgressorum, taliter, poenis canonicis institutis, disponere intendimus, quod poena eorum sit ceteris exemplum (sic). Mandamus igitur fratibus et coepiscopis nostris, ut super hoc articulo invigilent diligenter, ut purgent filios Levi, et auferant ab oculis Domini opprobrium Ecclesiae Dei.

#### Caput 4.

Praecipimus etiam specialiter archidiaconis omnibus, ut suum officium diligenter exerceant, personaliter ecclesias et sacerdotes visitantes, non per alios, nisi sint justo et sufficienti impedimento detenti; reformat secundum Deum quae sunt reformanda. Hoc autem eis inhibemus, ne aliquid audeant a sacerdotibus aliquibus, nomine visitationis, exigere, quum visitationem non exhibeant, et quum ratione visitationis procuratio debeatur. Hoc etiam adjicientes in poenam contumacium, ut si archidiaconus aliquis ob crimen incontinentiae aliquem suspenderit presbyterum, ipsam poenitentiam non relaxet, nisi de scientia dioecesani episcopi et consensu ejusdem.

#### Caput 5.

Item praecipimus: quod omnes, cujuscumque sint con-

ditionis, decimam ex integro persolvant in *gonitwam*, licet sint aratores militum. Quia vero, licet (sic) Ecclesia Poloniae, sive per tolerantiam, sive per concessionem, militibus Poloniae permiserit solvere decimas ad ecclesias, quas elegerint; quidam hac concessione sive tolerantia nequiter abutuntur, fraudantes ipsas decimas et non integre persolventes, statuimus: ut si quis miles probatus fuerit fraudem in hoc fecisse, et non integre decimam persolverit; cadat ab hoc jure, quod militibus est permisum, et solvat decimam sicut illi, qui privilegium militiae non habent.

### Caput 6.

Item quum contra violatores ecclesiarum vel coemeteriorum poenae sint a canonibus constitutae, et peccatis nostris exigentibus, in haec tempora devenerimus, quod a magnatibus terrae, nec timor Deo, nec honor ecclesiis impenditur, praecipimus: ut talibus qui ecclesias, seu coemeteria effractionibus, rapinis seu aliis violentiis violent, dioecesani episcopi nullomodo parcant; sed tales excommunicent et excommunicatos denuncient, ad satisfactio-  
nem condignam; et praecipue principem exercitus per quem facta fuerint; et si nullus principum ibi personaliter fuerit, tunc poena promulgetur specialiter in illos, qui principales in exercitu fuerint. Nec aliquo modo lata in eos sententia excommunicationis relaxetur, donec de damnis et de injuriis fuerit satisfactum.

**Caput 7.**

Praeterea praecipimus: ut qui ecclesiam vel coemeterium violaverit, vel qui fuerit de principalioribus illius exercitus, qui haec commiserit, poena puniatur, donec per ipsum de omni injuria sanctae Ecclesiae satisfactum fuerit; et ecclesiae omnes in quibus habuerunt jus patronatus sint suspensae, nec in eis, in quacumque dioecesi fuerint, divina officia celebrentur.

**Caput 8.**

Vastationes et depraedationes ecclesiae propter quamcumque guerram fieri prohibemus; et quum aliquae per rapinam fuerint spoliatae, princeps exercitus tamdiu excommunicatione teneatur, donec de omnibus damnis satisfaciat competenter.

**Caput 9.**

Item statuimus: quod si quis de principibus, vel aliquis de magnatibus et ceteris quibuscumque, juramento facto, maxime in praesentia alicujus episcopi, contrarium suo juramento fecerit; episcopus suus dioecesanus coram quo praestitum est sacramentum, perjurum excommunicet, et tamdiu faciat evitari, donec satisfaciet, vel sufficientem causam coram episcopo eodem assignaverit, vel probaverit, quare fecit contrarium: et si ille episcopus, coram quo juramentum fuerit factum non est suus dioecesanus, factum tale denunciet illius Ordinario; et ille

eum excommunicet, secundum praedictam formam; et si post tale perjurium dux aliquis tali perjuro aliquod castrum dederit, in illo castro toto tamdiu non celebrentur divina officia, donec dux eidem castrum auferat, vel ipse de perjuro satisfaciat sicut debet.

Caput 10.

Item praecipimus omnibus religiosis, cujuscumque regulae sint, quod judicia secularia inter principes seu alios laicos non pertractent, discurrentes de claustris suis; nisi sit abbas vel alias principalis praelatus vel alias minor, qui faciat haec de paecepto sui superioris speciali, vel pro utilitate domus vel ecclesiae. Praecipimus abbatibus eorum, ut tales in claustris suis recludantur; et si abbates in hoc negligentes fuerint, nos eorum negligentiam, prout decuerit, puniemus.

Caput 11.

Item praecipimus: quod viri claustrales in secularibus ecclesiis personaliter non deserviant, nec aliqua ibi conversentur occasione.

Caput 12.

Item quum absurdum sit et iniquum pro bono mala retribuere, statuimus: ut quicumque clericus, et maxime beneficiatus in aliqua ecclesia, contra honorem sive utilitatem ecclesiae vel praelati sui, aliquo consilio vel auxilio astiterit alicui personae seculari, quia indignum

se reddidit beneficio ejus quod impugnat, eodem beneficio per dioecesanum suum privetur.

### Caput 13.

Similiter, si sui capituli secreta prodiderit, quod factum si negaverit, et super hoc infamatus fuerit et suspectus; purgatio ei per episcopum, secundum quantitatem infamiae, indicetur, quam nisi praestiterit, poena praedicta puniatur. Et si qui tales sunt, qui ecclesiastica beneficia non habeant, in illa ecclesia spem promotionis non habeant quam impugnant.

### Caput 14.

Item quum sciamus, multas constitutiones a nostris antecessoribus editas, in quibus latae sunt contra transgressores excommunicationis seu interdicti sententiae, quae ob verborum obscuritatem, periculum multarum continebant animarum, eas in irritum revocamus, maxime ut per hoc ad extirpanda vitia et virtutes plantandas praelati ecclesiarum diligentius et efficacius adstringantur, . . . . \*

### Caput 15.

Addimus: ut secundum constitutionem Concilii Lateranensis \*\* quilibet in ecclesia parochiali, quam te-

\* Concilium Lateranense III c. 13.

\*\* Quae sequuntur in codd. omnino carent sensu.

net, personaliter deserviat et resideat in ordine, quem requirit cura ejusdem ecclesiae; non licet alicui talium vicarium ponere sine nostra licentia speciali. Vicarii autem omnes parochialium ecclesiarum ponentur vel de nostra licentia speciali et conscientia, vel nostrorum archidiaconorum, quibus competit talium personarum examinatio; nec removeantur nisi ex justa causa nobis vel nostris archidiaconis manifesta; nec vicarius in sua vicaria pro se alium constituat vicarium. Vicariis autem de competenti sustentatione per dominos ecclesiarum praecipimus provideri, ita ut hospitalitatem exercere et seipsos competenter valeant sustentare. Et executionem hujus statuti nostris archidiaconis committimus.

**2. Synodus incerti loci et anni \***

**Caput 1.**

Crescente quotidie malitia hominum perversorum et in deteriora seculo declinante, cogimur ex praeteritis casibus, futuris periculis obviare. Sanctione igitur constituimus synodali: ut si umquam, diabolo instigante, aliquis princeps episcopum ceperit, extunc statim ab eo tempore, quo cognita fuerit episcopi captivitas, in tota terra illius tyranni, qui eum captivaverit, divina cesserent

---

\* Secundum Mathiam Miechoviensem synodus haec est forsitan illa, quam refert celebratam fuisse Lenciciae anno 1244.

officia; nec exhibeantur in ipsa terra aliqua divina sacramenta, praeter baptismata parvorum et poenitentias morientium; sepultura mortuorum ibidem specialiter interdicta. Quod si dioecesis ampla fuerit, extra dominium ejusdem tyranni se extendens, in illa quidem parte divina celebrentur officia; sed singulis diebus festivis, ab omnibus praelatis et rectoribus ecclesiarum excommunicetur malefactor solemniter, extinctis candelis et pulsatis campanis, cum omnibus fautoribus et consiliariis suis; et in signum ecclesiae sui pastoris ad illud tempus solatione viduatae, campanae in nulla pulsentur ecclesia ejusdem dioecesis; sed ad divinum officium convocetur populus sono percussae tabulae, sicut fit in diebus Dominicae Passionis. Quodsi aliquis de clero a quocumque captus fuerit; dioecesanus episcopus, sub poena sui officii, teneatur ad vindictam sui facti procedere, malefactorem excommunicando et denunciando excommunicatum. Et si princeps, quam statim admonitus, eum non restituerit, ejus terra supponatur interdicto; si vero alia persona fuerit a principe, solemniter excommunicetur; et si contumax fuerit, admoneatur, princepsque cogat detentorem ejus, quod absolutum eum dimittat. Quod si princeps in illis negligens fuerit; terra ejus similiter interdicto supponatur.

**Caput 2.**

Statuimus etiam: ut episcopo defuncto, praepositus decanus et capitulum ejusdem ecclesiae et saltem qui praec-

sententiae fuerint denuncient haec, sub poena officiorum suorum, omnibus episcopis et provincialibus infra octo dies a tempore scientiae; ut exequiae personae defunctae et divina officia, quae pro defunctis fiunt, tam a praelatis quam subditis decenter et solemniter celebrentur.

**Caput 3.**

Statuimus nihilominus: ut res omnes defuncti episcopi sint sub tuitione et fideli custodia praelatorum cathedralis ecclesiae, usque ad electionem sui successoris.

**Caput 4.**

Excommunicamus etiam omnes, sive sint principes sive alterius dignitatis, qui res episcopales sede cathedrali vacante praesumpserint in usus suos redigere, vel per aliquam violentiam occupare; quum de jure debeant omnia reservari successori ecclesiae, cuius sunt usibus profutura.

**3. Synodus incerti loci et anni \***

**Caput 1.**

Crescente quotidie malitia perversorum et in deteriora seculo declinante, cogimur ex praeteritis casibus, futuris

\* Constitutiones hujus Synodi, in utroque codice, Fulconi archiepiscopo attribuuntur; quod si ita est, injecta iis mentio constitutionis a Philippo Legato editae, ut infra videbitur, tribuenda potius minus eruditio scribae, qui apposita in margine codicis, quem transcribebat, annotationem, non dubitavit textui ipso inserere.

periculis obviare. Sanctione igitur constituimus synodali: ut si umquam aliquis princeps archiepiscopum vel episcopum ceperit, extunc statim in tota provincia cesserent divina officia ipso facto; nec exhibeantur in ipsa aliqua ecclesiastica sacramenta, praeter baptismata parvulorum et poenitentias morientium; ecclesiastica sepultura specialiter interdicta. Quod si vero, quod absit, occiderit, bona ipsius mobilia et immobilia ecclesiae, jure perpetuo, applicentur. Quod si per alium captus fuerit, sua dioecesis, capti videlicet, et ea in qua detentus fuerit, ac etiam si idem malefactor extra dictas dioeceses terras vel dominium habuerit, ipso facto ecclesiastico subjaceant interdicto. Quod si minor praelatus aut canonicus cathedralis aut conventionalis ecclesiae captus fuerit, terra illius malefactoris et dominium similiter ecclesiastico interdicto subjaceant ipso facto, et nihilominus locus in quo captus et in quo tenetur: terrae vero et dominia de quibus malefactores fuerint, per dioecesanum, dum constituerit, interdicto ecclesiastico supponantur. Quod si forsitan aliqui praedictorum praelatorum vel canonicorum proscripti fuerint, terrae et dominia proscribentium similiiter sint ipso facto ecclesiastico supposita interdicto. Si vero alias clericorum quicumque captus fuerit vel occisus, locus in quo captus fuerit vel occisus, et in quo tenetur, ecclesiastico subjaceat interdicto. Et interdictum praesenti constitutione prolatum ab omnibus firmiter observetur; nec a quoquam, nisi ab ipsa synodo vel a metropolitano,

suffraganeis requisitis, pro majori praelato, pro minori vero \* clerico a dioecesano, congrua satisfactione praemissa \*\*, valeat relaxari. Et ne malefactores hujusmodi, propter simulata pericula, fraudulenter procurent et obtineant se absolvi, statuimus: ut nonnisi in evidenti articulo mortis, satisfactione praemissa congrua, absolutionis beneficium valeant obtainere, vel saltem cautione praestita idonea, de satisfaciendo infra unum mensem: alias in eandem sententiam incident ipso facto. Quod si secus factum fuerit in praemissis, ipso facto fore decrevimus irritum et inane.

## Caput 2.

Statuimus etiam: ut tales malefactores omnibus innotescant, ut eo amplius confundantur, quod tempore talis interdicti, populus sono percussae tabulae, omnibus diebus Dominicis et festivis, ad ecclesiam convocetur: ibi festa et jejunia populo indicentur, et exhortatione facta, et causa interdicti exposita, malefactores hujusmodi ter pulsatis campanis, candelis extinctis, excommunicati publice nuncientur. Et ut populus ad convenientendum illic amplius invitetur, convenientibus illic et excommunicatos vitantibus, quadraginta dies indulgentiae concedantur.

\* T Cod. Petrop. adjicit vel.

\*\* Codices Petrop. et Stron. post hoc verbum habent: *juxta formam constitutionis domini Firmani episcopi*, sed haec posteriori et minus erudita manu inserta videntur, ut supra jam admonuimus.

### Caput 3.

Item statuimus: ut omnes ecclesiarum rectores teneantur habere sigilla sub nomine ecclesiarum suarum; ut literas, quae ad eos dirigentur, restituant sigillatas.

### Caput 4.

Item statuimus: ut omnes ecclesiarum rectores, quibus monasteria sunt vicina, teneantur religiosis denunciare excommunicatos suae parochiae; et si apud eos sepulti fuerint excommunicati, tenentur eis denunciare eosdem; qui si denunciationem praedictam contempserint, dioecesano denuncientur infra mensem. Et nihilominus ad eundem locum, diebus solemnibus, personaliter accedentes populo denuncient publice, quod in tali loco excommunicatus sit sepultus.

### Caput 5.

Item statuimus: ut omnes ecclesiarum rectores seu plebani vel quicumque alii sint praelati, per universam dioecesim Poloniae gentis constituti, pro honore suarum ecclesiarum et laude Dominica, quum habeant scholas per licentiam episcoporum statutas, non ponant Theutonicam gentem ad regendum ipsas, nisi fuerint polonicae linguae ad auctores exponendos pueris, et latinum polonice, informati (sic).

Caput 3.

Item istud suum ut omnes coeternum legatos pono  
super episcopis eligitis cum nomine cooptis suorum ut  
fuisse dico ad eos diligentes, testimoniis diligenter.

Caput 4.

Hoc estiam in omnibus cooptis suis legatos di-  
mum et honestum et diligenter servatum.

**II. JACOBUS ARCHIDIACONUS LEODIENSIS  
LEGATUS, POST ELEVATIONEM AD PONTI-  
FICATUM, URBANUS PAPA IV.**

**Synodus Wratislaviensis a. 1248.**

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fi-  
lio episcopo W<sup>\*</sup> Apostolicae Sedis legato, salutem et Apo-  
stolicam benedictionem. Sinceritatis tuae pia desideria,  
de quibus ex probabili conjectura praesumitur, quod ad  
laudabiles diriguntur effectus, eo debemus prompto favore  
prosequi, quo nobis potissime competit super hoc beni-  
gnos et propitos inveniri. Sane transmissa nobis tua pe-  
titio continebat, quod licet nos olim, cum adhuc in offi-  
cio minori constituti, legationis ministerio in Poloniae,  
Pomeraniae, Prussiae partibus fungebamur, quasdam con-

---

\* In cod. Stron. *Waznienensi.*

stitutiones, quae animarum salutem et divini cultus augmentum continent, ac etiam utilitates ecclesiarum et decus clericale respiciunt, morumque sapiunt honestatem, in concilio tunc a nobis apud Wratislaviam congregato, diligent perhibita deliberatione, fecerimus, auctoritate praedictae legationis, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Gneznensi et aliis quam pluribus episcopis illarum partium in eodem concilio congregatis firmiter injungentes, ut constitutiones ipsas observarent inviolabiliter, et in suis civitatibus et dioecesibus facerent observari; qui tamen hoc ipsum efficere negligunt, et dictarum ecclesiarum utilitatibus nimis adimitur, et saluti fidelium de illis partibus plurimum derogatur; quare pro parte tua instanter petebatur a nobis, ut super hoc salubriter curaremus. Nos itaque de tua circumspectione confisi, fraternitati tuae per Apostolica scripta firmiter praecipiendo mandamus, quatenus constitutiones easdem in praedictis partibus, auctoritate nostra, facias inviolabiliter observari, contradictores eadem auctoritate Apostolica compescendo, nonobstante si aliquibus, quod suspendi vel interdici aut excommunicari nequeant, a Sede Apostolica sit indultum. Quasdam autem constitutiones, quas nos recolimus edidisse, omissis earum aliquibus, quae locum ad praesens non videntur habere, de verbo ad verbum praesentibus, reliquas vero quibusdam aliis nostris literis, tibi directis, fecimus adnotari (sic). Quae tales sunt. Reverendo fratri ac domino F. Dei gratia Gneznensi archie-

piscopo, et venerabilibus in Christo fratribus F. Dei gratia Wratislaviensi, P. Cracoviensi, M. Cujaviensi, Poznaniensi, M. Mazoviensi, Lubucensi et Culmensi \* Dei gratia episcopis in concilio a nobis notato in Wratislavia, in crastino Dionysii congregatis, Jacobus archidiaconus Leodienensis, domini Papae capellanus, ac ejusdem in Polonia, Prussia et Pomerania vicesgerens, salutem in Domino. Mandatum Apostolicum in dicto concilio vobis praesentavimus sub hac forma: Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Gneznensi et Prussiae (sic) archiepiscopis ac eorum suffraganeis salutem et Apostolicam benedictionem. Quia corporali praesentia non possumus locis singulis inveniri, nonnunquam viros providos et discretos in partem solitudinis destinamus, in exemplo ejus instructi, qui pro salute humani generis de supernis coelorum ad ima mundi descendens, discipulos, quos elegit, in universum orbem transmisit, omni creaturae evangelium. De vestra itaque salute paterna diligentia cogitantes, dilectum filium Jacobum archidiaconum Leodensem, capellatum nostrum, virum utique literatum, morum honestate decorum, et in conciliis circumspectum, acceptum quamplurimum nobis et fratribus nostris suae merito probitatis, ad partes vestras duximus destinandum,

\* Teste Boguphalo et Mathia Miechoviensi interfuerunt haec Synodo Wratislaviensi: Fulco Archiepiscopus Gneznensis et Prandota Cracoviensis, Boguphalus Poznaniensis, Thoma Wratislaviensis, Michael Wladislaviensis, Andreas Ploensis, Nankerus Lubucensis, Henricus Culmensis Episcopi.

committentes sibi in eisdem partibus vices nostras plenarie, et ut evellat et dissipet, aedificet et plantet, sicut sibi viderit expedire. Quia vero ipsum specialis dilectionis brachiis amplexamur, universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus eum, imo potius nos in ipso benigne recipientes et honorifice pertractantes, eidem tamquam Apostolicae Sedis legato intendatis humiliter et devote, ipsius monita et paecepta et quae vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari. Datum Lugduni, octavo kalendas Decembbris, pontificatus nostri anno quinto.

### Caput 1.

*De poena clericorum, qui in domibus suis vel alibi publice suas detinent concubinas.*

Quoniam scortatores, hoc est, illos qui in suis peccatis incorrigibiles permanent, non exaudit Deus, timendum est vehementer, ne plus noceat Christianis ad poenam multorum immunda conversatio clericorum, quam proposit ad veniam paucorum deprecatio devotorum. Quum peccatum unius de filiis Israel, qui vidente Moyse et omni turba, ad scortum Madianitidem intravit, plus procuravit iram Dei, quam placaverint suffragia plurimorum; sic et diebus istis est non immerito formidandum, ne pro

peccatis publicis clericorum, quae coram praelatis et omni populo facere non verentur, regnare faciat Deus hypocrismi impiorum. Nam quamvis contra clericos, qui in hospitiis suis vel alibi detinent suas concubinas, qui de nocte agitant filium veneris, et de die tractant filium Virginis gloriosae in altari, multae poenae a sanctis Patribus fuerint institutae; tamen quorundam praelatorum studio et malitia, parva est adhuc ex illis emendatio in istis partibus subsecuta. Sed quia error, cui non resistitur, approbatur; ne nos errorem hujusmodi videamur, si tacuerimus, approbare, vobis praedicta, qua fungimur, auctoritate praecipiendo, mandamus: quatenus infra unum mensem, postquam ad vestras redieritis ecclesias cathedrales, ipsas ecclesias primo et specialiter per vos, alias vero per archidiaconos vestros vel alios, quos ad hoc expedire videritis, visitantes omnes, et illos, quos inveneritis in domibus suis vel alias suas publice detinere concubinas, sive sint archidiaconi, sive decani sint vel archipresbyteri, sive etiam alii in quacumque dignitate vel officio constituti, diligentius moneatis, ut concubinas easdem a se removeant, ad ipsas nequaquam reversuri, vel si fuerint super hoc infamati seu diffamati, se purgent et compurgatores habeant secundum canonicas sanctiones. Quod si monitiones vestras, imo Apostolicas potius contempserint etiam ista vice, vos elapso isto mense, secundum poenas in jure contra concubinarios editas, contra ipsos procedere nullatenus omittatis, si vultis et peccatum inobe-

dientiae evitare, et illos concubinarios a confusione et scandalio liberare. Quod si forte ex negligentia vel favore infra alium mensem non processeritis, ut dictum est, contra ipsos, ut extunc negligentiam vestram non solum inutilem sibi sentiant, sed damnosam, auctoritate praedicta statuimus vobisque mandamus: ut extunc dicti concubinarii conveniri a quolibet, et ipsi nullum valeant convenire in foro ecclesiastico, qui in eodem foro, in modum exceptionis, proposuerit et probaverit legitime contra eos, quod ipsi in domibus eorum vel alibi suas publice detinent concubinas, vel quod diffamati super hoc in purgatione defecerint canonica; ut sic ex contemptu suo et vestra negligentia et favore confusionem et damnum huiusmodi se sentiant incurrisse. Verum tamen, quantumcumque postea constiterit, eosdem concubinarios, poenitentia ducitos, suas concubinas a se penitus removisse, ita quod dictae exceptiones locum non habeant amplius contra ipsos, extunc in eisdem, a quibus fuerant per dictas exceptiones repulsi, et aliis suis actionibus legitimis audiantur, et ad ea, nisi aliud impedit, admittantur; quum sit intentio-  
nis nostrae, ut etiam in hac parte cessante causa, cesseret pariter et effectus. Si autem aliquis contra aliquem malitiose exceptionem istam proposuerit, et in probatione defecerit, per eum, coram quo eam proposuerit, ad damna et interesse et ad legitimam aestimationem tantae injuriaie condemnetur illi, contra quem exceptionem proposuerit et non probaverit antedicta.

*Caput 2.*

*De poena sodomitarum.*

Illos autem, qui de vitio illo pessimo, inimico naturae, quod Apostolus immunditiam vocat, convicti fuerint vel confessi, vel quos diffamatos apud bonos et graves super hoc in purgatione canonica, die ad haec statuta, constituerit defecisse, mandamus omni beneficio ecclesiastico, si quod habuerint, omnino privari; si autem beneficium non habuerint et in ordinibus fuerint constituti, ab omnibus ordinibus degradari; si autem non fuerint ordinati, vel si fuerint laici, excommunicationis vinculo innodantur, et aliis confusionibus repleantur, prout praelatis eorum visum fuerit expedire.

*Caput 3.*

*De juramento ab episcopo et canonicis ecclesiae suae faciendo.*

Audivimus et miramur, quod usque ad haec tempora sit neglectum, quod in omnibus ecclesiis cathedralibus vel in aliis Gneznensis provinciae, nullum praestatur ab episcopis vel canonicis juramentum, de juribus vel consuetudinibus ipsius ecclesiae conservandis, vel de consiliis ecclesiasticis non revelandis, vel quae obesse potius possunt quam prodesse. Unde contingit vel contingere forte possit, quod aliqui episcopi jura ecclesiarum suarum non solum non servant, sed suis parentibus et aliis largiuntur, vel ea aliis modis minus provide alienant, et quod

aliqui in canonicos jam recepti, in conciliis et curiis principum vel aliorum etiam existentes, ipsis ecclesiis et ipsorum episcopis indebite se opponunt et consilia eorum revelant in ecclesiarum praejudicium et gravamen. Volentes igitur in hujusmodi episcopis et ecclesiis providere, mandamus: ut de cetero, postquam episcopus fuerit consecratus, antequam a capitulo suo recipiatur, in ecclesia cathedrali cum honore et solemnitatibus consuetis, et canonicus, antequam ei locus vel stallum in capitulo assignetur, praestent corporaliter juramentum, quod ipsi jura et consuetudines venerabiles, antiquas et probatas ipsius ecclesiae, pro posse et bona fide servabunt, et quod consilia capitulo vel episcopi, quae eis fuerint revelata, ad eorum damnum et praejudicium nulli pudent, et quod alienata indebite ad jus et proprietatem ipsius ecclesiae omnibus justis modis vel rationabilibus, quibus potuerint, revocabunt. Et quoisque a praedictis praestita fuerint hujusmodi juramenta, ne episcopus ad ecclesiam cum solemnitate debita a capitulo admittatur, nec canonico stallum in choro vel locus in capitulo assignetur, nec aliquid in fructibus praebendae suae percipere permittatur. Et canonicos jam receptos, qui nondum praestiterunt hujusmodi juramentum, ad prestandum illud, auctoritate nostra et vestra per censuram ecclesiasticam et per subtractionem suorum proventuum compellatis. Postquam autem dicta praestiterint juramenta, qui illa non observat sed contra fecerit, et de hoc legitime constiterit, canonice puniatur.

**Caput 4.**

*De proventibus assignandis pro communibus promovendis negotiis.*

Intelleximus, quod in ecclesiis cathedralibus et conventionalibus Gneznensis provinciae, nulli sunt reditus assignati pro communibus negotiis promovendis; sed quoties expensae hujusmodi negotiis factae fuerunt vel etiam facienda, oportet ut quilibet canonicus prius symbolum suum solvat. Sed cum nonnulli canonici portionem, quae illos de dictis expensis contingit non solvunt libenter, vel quoque non possunt, accidit quod jura ecclesiae et negotia communia indefensa remaneant et neglecta. Volentes igitur in hac parte dictis ecclesiis providere, vobis auctoritate praedicta mandamus: ut ad capitula vestrarum dioecesium, tam cathedralia quam alia, infra annum accedentes, personaliter auctoritate nostra et vestra ordinatis et disponetis cum ipsis, ut ab ipsis certi reditus deputentur, pro communibus ipsius ecclesiae negotiis per totius anni circulum promovendis, et quod si quid defuerit, a capitulo suppleatur, et si quid in fine anni superfuerit, in thesauris ecclesiae de proventibus et reditibus ad opus capituli reservetur.

**Caput 5.**

*De praebendis aequalibus faciendis.*

Praeterea audivimus, quod in ecclesiis cathedralibus et aliis conventionalibus supra dictis praebenda canonorum

sunt adeo inaequales, quod unus esurit et alius ebrius est, unus indiget et alias in perceptione fructuum plus tumidet. Quum autem omnes canonici, qui in una ecclesia uni Domino famulantur, pari gaudere debeant praemio et mercede, et in perceptione fructuum esse pares, mandamus vobis auctoritate praedicta: quatenus infra annum dictum ad praedicta capitula personaliter accedentes, provideatis fideliter et prudenter, ut omnes praebendae cujuslibet ecclesiae, sicut canonici earum cesserint vel decesserint, successive ad aequalitatem, prout commodius et discretius fieri potest reducantur, si tamen fieri potest, et videritis commode expedire; et postquam ad aequalitatem reductae fuerint bona fide, extunc singulis novem \* annis fideliter iterum partiantur, et quanto fidelius et diligentius fieri potuerit, aequaliter dividantur.

### Caput 6.

#### *De residentia facienda in ecclesiis.*

Item, ecclesias conventuales istius provinciae personaliter visitantes fide cognovimus oculata, quod canonici in ecclesiis suis non resident sed in villis, studentes, ut agri eorum diligentius excolantur, quam quod in ecclesiis eorum digne et laudabiliter Deo serviatur. Quocirca vobis auctoritate praedicta praecipiendo, mandamus: quatenus, secundum Apostolum, qui non laborat non debet manducare, et qui non servit altari, vivere non debet de al-

\* In codd. pro novem potest legi: novis.

tari, infra annum praedictum dictas ecclesias personaliter visitantes, omnes canonicos cuiuslibet ecclesiae tam cathedralis quam conventualis, necnon et curatores ecclesiarum parochialium ad suscipiendum Ordinem sacerdotalem, et ad faciendam residentiam personalem in suis ecclesiis, per subtractionem suorum proventuum compellatis, sicut exigit ordo juris; scientes, quod nos illos aequales residentibus in perceptione fructuum reputamus, qui cum suis episcopis commorantur, et eos, qui docibiles sunt et morantur in scholis, ac illos, qui in longinqua peregrinatione existunt, necnon illos, qui in Romana Curia pro negotiis suaे ecclesiae commorantur, et ad alia negotia capituli in expensis ipsius capituli transmittuntur, quamdiu laboraverint personaliter in eisdem vel in aliis negotiis rationabilibus, a jure concessis, licentia prius a suis superioribus habita et petita, in omnibus casibus antedictis.

### Caput 7.

#### *De distributionibus solum residentibus faciendis.*

Ceterum, quum officium beneficio reddatur acceptum, et absque beneficio officium negligatur, vobis mandamus: quatenus in proxima visitatione dictarum ecclesiarum quam vobis mandamus fieri, ut dictum est anno isto, de bonis ipsarum ecclesiarum et proventibus ad summum provideatis prudenter, quomodo aliqua beneficia manualia possint solis residentibus, et in servitio ipsius ecclesiae

nocte dieque personaliter existentibus, diebus singulis elargiri, vel solvi in hebdomadae principio et quadragessima et adventu. Et si aliqua praebenda vacaverit in futurum, quae multum quantitatem aliarum excedit, excessum illum assignetis, et residuum futuro canonico assignetur. Nos autem ipsos dominos episcopos rogamus, monemus et in Domino exhortamur, ut de novalibus vestrarum dioecesium, et de aliis, quibus potestis ecclesiis sine vestro magno gravamine subvenire, subveniatis eisdem, praedictis manualibus beneficiis augmentandis; merito enim poterit ingratus reputari, qui in praedictis ecclesiae suaे, quae ipsum praefecit, neglexerit subvenire, quemadmodum ille qui pomum denegaret illi, qui totam pomis onustam arborem dedit ei.

### Caput 8.

*De poena illorum, qui non promoventur ad sacros Ordines.*

Quia sunt nonnulli canonici in ecclesiis cathedralibus et aliis, qui ad sublimitatem sacrorum Ordinum ascendere praetermittant, credentes forsitan et errantes, quod extra sacros Ordines eis liceat plus peccare; nos eos revocare ab errore hujusmodi cupientes, vobis auctoritate praedicta mandamus: ut canonicus, qui non fuerit in sacris Ordinibus constitutus, stallum in choro non habeat, sed in loco stet vel sedeat puerorum; nec etiam locum habeat in capitulo, nec ei liceat tractatibus vel consiliis capituli in-

teresse; decanos vero, archidiaconos et alios, qui tenentur, ratione dignitatum vel beneficiorum suorum, ad diaconatus vel presbyteratus ordines promoveri, monemus, ut in proximis vel in secundis ordinibus, qui sequuntur, se faciant ad eosdem ordines promoveri. Alioquin eos extunc suspendimus ab officio eligendi praelatum, ita videlicet, quod cum fuerit in sua cathedrali ecclesia electio celebranda, vocem in electione non habeat aliquis de predictis, nec ad electionem in capitulo admittatur, et ineligibiles habeantur quo usque Ordines sacros receperint, vel eos quos dignitas vel beneficium eorum requirit: et qui in contemptum modi istius cum eis, vel eos elegerit, vel ab ipsis elegi se permiserit, et eligendi potestate illa vice privetur, et electio taliter celebrata irrita nuncietur.

### Caput 9.

*Quibus debeant episcopi committere vices suas in confessionibus audiendis et poenitentiis injungendis.*

Praeterea vobis dicta auctoritate mandamus: ut quilibet episcopus eligat, tam in sua ecclesia cathedrali quam in aliis ecclesiis conventionalibus suae dioecesis, aliquem virum discretum et honestum, constitutum in ordine sacerdotali, cui committat plenarie vices suas in confessionibus audiendis et poenitentiis injungendis. Quum enim episcopi in ecclesiis suis cathedralibus et aliis supradictis plures habeant conferre bonas praebendas, nimis esset indecens et sindignum, gravique sententiae mererentur subjacere, si

unam ex illis non contulerint alicui bono viro, cui teste conscientia possint committere vices suas in omnibus supradictis, et qui illud officium, cum salute sua et confidentium, velit et valeat exercere.

### Caput 10.

#### *De constituendo officiali in qualibet ecclesia cathedrali.*

Et ne forte contingat stulto labore, sicut dictum fuit Moysi, vos consumi, si soli velitis omnia negotia vestram dioecesum supportare, vel ne videamini justitiae neglectores, si per vos ipsos, vel per alium non curetis subditis vestris justitiam exhibere, mandamus: ut quilibet vestrum officiale suum in civitate sua juxta ecclesiam cathedralem constituat, et relinquat, virum utique literatum, providum et discretum, cui vices suas committat plenarie in causis audiendis, et censura ecclesiastica exercenda. Vos autem in his quae ad eum pertinent specialiter intendatis, ut majora, si opus fuerit, ad vos referantur. Et habeat quilibet officialis sigillum curiae domini sui, pro citationibus et aliis actis coram ipso habitis sigillandis. Et ad ipsum accedant pauperes et oppressi et suis decimis et aliis spoliati, necnon alii totius dioecesis, qui habent causas ad forum ecclesiasticum pertinentes. Et ipse se exhibeat sapientibus et insipientibus justitiae debitorem, salvo jure archidiaconorum, qui consueverunt in suis archidiaconatibus censuram ecclesiasticam exercere; a quibus tamen potuerit ad dictum officiale, et ab ipso



officiali ad ipsum archiepiscopum vel officialem ejus, ex causis rationabilibus, appellari. Quilibet autem officialis officium suum, in festo S. Johannis, teneatur in manus episcopi annis singulis resignare; et episcopus eundem vel alium infra octo dies substituere loco ejus studeat, prout videbitur expedire. Datum \* apud urbem veterem VI \*\* kalendas Decembbris, pontificatus nostri anno secundo \*\*\*.

### Caput 11.

#### *De censura ecclesiastica exercenda a praelatis.*

Veritate evangelica attestante cognovimus, quod illi beati a domino reputantur, qui persecutionem propter justitiam patiuntur. Quam beatitudinem praelati istarum partium negligunt, ut videtur, dum decimas, et possessiones, ac alia bona ecclesiarum et ecclesiasticorum virorum videant a militibus, tam consanguineis suis, quam extraneis et aliis laicis violenter et indebite occupari; clericos suarum civitatum et dioecesium bonis propriis spoliari, crudeliter verberari, captivari et nonnunquam occidi; immunitates et alias libertates ecclesiasticas violari; et ipsi quiescentes in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta tacent, nec

---

\* Partem hanc synodi Wratislaviensis separatim et post haec, quae sequuntur confirmatam fuisse, docent quum literae ipsius Urbani Papae ad episcopum W, tum subscriptio, quae in cod. Petrop. ad cap. 10 constitutionum ejusdem synodi adjecta est.

\*\* In cod. Petrop. VIII.

\*\*\* In cod. Petrop. scriba perperam posuit: anno quinto.



se opponunt murum pro domo Domini venientibus ex adverso. Volentes igitur reprehensione praesenti latera praedictorum percutere praelatorum, ac eos, ut a somno taurorum, corporis negligentiae (sic) velociter surgant, excitare, vobis qua fungimur auctoritate mandamus: quatenus quum de cetero casus aliqui emerserint de praedictis, si passi injuriam audent conqueri et injuriatores ipsos, coram episcopo vel officiali suo facere, in judicium evocari, praelati ad quos querimoniae hujusmodi deponuntur, conquerentibus maturum exhibeant justitiae complementum; si autem non audent conqueri, timentes majora probabiliter rerum vel corporum incurrere detrimenta, praelati ipsi ad denunciationem illorum, qui injuriam sunt perpesi, contra malefactores praedictos ex officio suo procedant, inquirentes diligenter, per se vel per alios viros idoneos, non suspectos, super illis injuriis, si dubiae sint veritatis; et quum per inquisitionem legitimam vel rei evidentiam certum constiterit de praemissis, in ipsos injuriatores sive malefactores, monitione praemissa, excommunicationis ferre sententiam non postponant. Quam si illi per quadraginta dies mente contempserint indurata; extunc eorum terras supponant ecclesiastico interdicto, ita quod praeter baptismum parvolorum et poenitentiam morientium, nulla exhibeantur in illis ecclesiastica sacramenta. Et si sic non possit eorum malitia emolliri, quum ferro abscindenda sunt vulnera, quae tormentorum non sentiant medicinam, mandamus, ut ad eorum pertinaciam reprimendam invo-

cent auxilium domini secularis, a quo vel a quibus temporalia sua tenent. Et nisi, moniti legitime, dictum malefactorem coegerint, prout ad eos pertinet, ad redeundum ad Sanctae Matris Ecclesiae unitatem, extunc auctoritate praesentis concilii in dictos dominos seculares sententia excommunicationis proferatur, vel terrae eorum supradicto interdicto ecclesiastico supponantur. Nec praedictae sententiae relaxentur ab eis, qui eas tulerunt, donec et praedicti captivi liberentur, et res ablatae restituantur plenarie spoliatis et passis injuriam, et competenter fuerit satisfactum, et a dictis injuriatoribus praestitum fuerit juramentum, quod de tanto excessu debeant mandatis ecclesiae obedire. Et in his et aliis justitiis suis unanimes et concordes esse debetis; nec unus excommunicato ab altero communicet nullo modo; et si persecutionem pati propter justitiam nos oportet, hoc omnes gaudium aestimetis.

### Caput 12.

#### *De falsis testibus puniendis.*

Officialis quando sederit pro tribunali, pro causis audiendis, semper eoram se habeat reliquias et sanctuaria, venerabiliter collocata. Et quia intelleximus, quod homines terrae hujus de facili inducuntur ad falsum testimonium prohibendum, quando aliqui coram ipso in testimonium producentur, eos prius solemniter, non perfunctorie jure faciat super sancta, quod super illa, super quae produ-

cuntur, dicent meram et simplicem veritatem, et super his maxime, de quibus ad causam illam pertinentibus fuerint requisiti; et quod pro commodo vel incommodo, prece vel pretio, amare vel odio non dicent falsum, nec veritatem celabunt. Et hoc dicto, secrete et singillatim examinentur. Et si requisiti non affirmaverint ita esse, praeципue de causis scientiae et de singulis circumstantiis diligentissime requirantur, et statim, quaecumque dixerint, rescribantur. Et si fuerit examinator sicut Daniel diligens et fidelis in circumstantiis requirendis, falsum testem perspicere poterit evidenter, etiamsi fuerit subornatus. Quem autem officiali constiterit falsum testimonium protulisse, si sine damno vel scandalo possit, eum in carcere teneat captivatum, usque ad maximam diem fori. Et tunc \* in curia domini episcopi vel ante ecclesiam cathedralem erigat magnam scalam, in qua manibus et pedibus turpiter ostendat religatum pro spectaculo cuilibet transeunti; et sic ibi ab hora prima usque ad horam nonam habeat ab omnibus visibilem et derisum. Et postea ei publica poenitentia in sua facienda parochia injungatur; quam si non fecerit, excommunicetur, nec non absolvatur de tanto excessu, donec officiali satisfaciat competenter. Et extunc ad ferendum testimonium in aliqua causa nullatenus admittatur.

\* Verba: *eum.... et tunc*, desunt in cod. Petrop.

Caput 13.

*De consuetudine reprobanda.*

Illam autem consuetudinem, in qua ille, qui in foro publico vel alicubi coram multis aliquod perpetravit delictum, et tamen admittitur ad juramentum contra publicam veritatem, quod delictum illud non fecit, penitus reprobamus; sed testes idonei admittantur potius contra ipsum, per quos possit affirmativa veritas legitime comprobari.

Caput 14.

*De poena illorum qui recipiunt a laicis beneficia.*

Non est laudabilis in ecclesiasticis beneficiis obtinendis progressus, cuius est violentia comes, ambitio pronuba, et fraudulentia pedagogus. A sinceritate certe ecclesiastica debet esse penitus alienum, quod legum sanctio non admittit, quod sanctorum Patrum decreta rejiciunt, quod Apostolicae Sedis regula praedamnavit, et hoc est, beneficia nec de jure vacantia, nec de facto, de manibus suscipere laicorum (sic). Et quia intelleximus quod talia frequenter in istis partibus perficiuntur, vobis qua fungimur auctoritate praecipiendo, mandamus: quatenus postquam aliquis clericus per electionem vel approbationem dioecesani episcopi aliquod beneficium canonice fuerit assecutus, si alius quicumque clericus, antequam de jure vel de facto vacare contigerit, beneficium illud praesumperit occupare, et maxime potentia laicali, et verbis vel factis contendere suum esse, et a dioecesano episcopo re-

quisitus et monitus diligenter, infra octo dies post monitionem ipsius episcopi noluerit omnino cedere, et illud beneficium relinquere vero domino possidendum; extunc violentus ille detentor beneficii antedicti ab illo episcopo excommunicetur solemniter, et tam in ecclesia cathedrali quam in aliis ejusdem civitatis et dioecesis excommunicatus publice denuncietur, singulis diebus Dominicis et festivis, candelis extinctis, campanis pulsatis; et post viginti dies ad petitionem ejusdem episcopi per omnes dioeceses Gneznensis Provinciae excommunicatus similiter nuncietur. Si autem per tres menses excommunicationem hujusmodi contempserit corde duro, extunc dioecesanus episcopus, convocato clero et populo ad ecclesiam cathedralem, ad aliquam diem certam solemnem, illo quoque excommunicato ad diem illam citato, sive venerit sive non, finaliter et solemniter privet excommunicatum omni beneficio ecclesiastico obtinendo, pariter obtento, ita quod in tota Gneznensi Provincia ad aliquam dignitatem non possit de cetero in perpetuum promoveri, nec praedictum beneficium nec aliud obtinere, nisi de dispensatione Sedis Apostolicae speciali. Etsi tandem rubore perfusus, absolutionem petierit, nisi prius dictum beneficium plenarie restituerit spoliato, et ei restituerit proventus, quos de beneficio eodem percepit vel percipere potuit, et de damnis et de injuriis ei ad bonorum virorum arbitrium satisfecerit competenter, absolutionis ei beneficium penitus denegetur. Verumta-

men in morte, si solvendo non fuerit et absolutionem petierit, in forma ecclesiae absolvatur; sed in poenam praesumptionis suaे, sepultura careat christiana.

### Caput 15.

*Ut illi, quibus decimae debentur, recipiant eas infra octo dies post messes.*

Quum ex naturali lege, quam omnes habent in cordibus suis scriptam, non licet alicui facere aliter quam sibi velle fieri non debeat (sic); quidam contra legem hujusmodi venientes, decimas, quae eis debentur, quas debitores, completis messibus eis statim solvere sunt parati, nolunt recipere etiam a debitoribus instantius requisiti, volentes eos cogere per hoc ad ipsas decimas, quantum voluerint, comparandas. Nam quum de consuetudine patriae, debitores decimarum non possint suas novem partes removere de agro, nisi prius decima persoluta; si pro ipsis decimis tantum dare noluerint debitores, quantum requiritur ab eisdem, illi quibus debentur, consuetudine abutentes, decimam suam in agro scienter corrumpi potius patiuntur, ut ad novem partes debitores decimae in agro pariter corruptantur. Et quum istud est manifeste legi contrarium naturali, quum nullus talia fieri ab aliquo sibi vellet, abusum hujusmodi de cetero fieri prohibemus, mandantes, ut circa receptionem decimarum vestrarum vos de cetero taliter habeatis, quod pauperes non graventur et vos propter hoc non contingat offensionem incurrere Creatoris.

### Caput 16.

*Contra milites, qui impediunt decimarum venditiones.*

Illud autem praecipue intolerabile reputamus, quod quidam milites, vel clerici, vel laici volentes villarum suarum vel aliarum decimas obtinere, diversis modis impediunt, ne aliquis a viris ecclesiasticis eas emat, ut decimas ipsas, invitis illis ad quos pertinent, occupare valeant violenter; et quamquam promittunt se reddituros in duplo pro illis, vel triplo quam valeant, et tamen vix, aut nunquam volunt etiam ea solvere, quae promittunt. Et sic pereunt ecclesiarum decimae et jura ecclesiastica minuntur, et interdum contingit, quod quum aliquis miles sic decimam retinuerit multis annis, heredes ejus decimas illas dicunt ad se jure hereditario pertinere. Quod auctoritate qua fungimur tolerare omnino prohibemus, mandantes et praecipientes, ut episcopi et alii praelati, ad quos pertinet censuram ecclesiasticam exercere, quum eis constiterit de praemissis, praedictos milites et alios quoscumque compescant viriliter, per censuram praedictam, a violentiis et injuriis antedictis, ita quod non videantur efferre homines contra Deum.

### Caput 17.

*Ut milites colonis decimam non remittant.*

Est et aliud, quod non debet sub dissimulatione aliqua pertransire. Contingit enim interdum in partibus istis, quod aliquis dux vel princeps, volens milites theutonicos

vel alios in suo servitio retinere, concedit eis in defendendum terras aliquas in suo dominio constitutas, de quibus coloni alicui ecclesiae vel personae ecclesiasticae consueverunt rectam decimam solvere ab antiquo. Illi vero milites, volentes de alieno facere largitates, ut majorem censem de terris recipient antedictis, aliis agricolis locant eas, quibus remittunt de terris praedictis sextum mansum omnino a decima liberum, et sextam partem aliarum omnium decimarum; promittentes eisdem, quod ipsos de eadem remissione erga omnes clericos liberabunt. Unde contingit, quod si forte episcopus vel alia persona ecclesiastica, quae de eisdem terris rectam consueverat decimam recipere, dictos agricultores super hoc inquietant, dicti milites per injurias et occupationem bonorum suorum illos compellunt, ut ab hujusmodi inquietatione desistant. Faciunt etiam milites antedicti aliud, quod valde aggravat dictum factum. Nam etiam illud, quod debent solvere ultra dictum sextum mansum et sextam partem omnium decimarum, in campo nolunt persolvere, secundum quod fieri consuevit, sed in horreo suo et non decimas vel nomine decimae, sed quandam solvunt numerum mensurarum, longe minorem recto numero decimarum, ut sic aliquando omne jus, quod Deus habet in decimis, deleatur. Quia igitur ex praedictis et Deus et homines offenduntur, ea tolerari de cetero prohibemus, nisi forte urgens necessitas vel evidens utilitas hoc requirat. Vobis qua fungimur auctoritate mandamus: ut omni personarum attentione

exclusa, praefatos milites a praedictis excessibus compescatis, ad satisfaciendum de commissis taliter compellatis, quod culpa eorum non incipiat esse nostra, et sustineatis, ne recedant a solutione recta et loco consueto et nomine decimarum; ne quod per multos sudores et, si fas est dicere, sanguines est a nostris praedecessoribus acquisitum, conservare, per incuriam, negligatis.

### Caput 18.

*De Corpore Christi a fidelibus processionaliter subsequendo  
et de indulgentia subsequentium \*.*

Inter alia jura et mirabilia admiranda, quae in altissimis Dominus noster fecit, illud est prae ceteris mirabilibus excellentius honorandum, in quo ipse dedit cunctis se in escam, et hoc est illud Corporis sui sacri venerabile Sacramentum, quod ipse ad Patrem transiens ex hoc mundo, tamquam memoriale nobis et delectabile dereliquit, ut illud memoriale nostrae commendaretur memoriae, mirabili intelligentiae et delectabili voluntati. Quae non cogitantes quidam presbyteri, indevote ferentes prae-fatum Corpus Dominicum ad infirmos, per vicos et plateas adeo deferunt indevote, quod populus eidem venerabili Sacramento minus impendit reverentiae et honoris. Quocirca mandamus: ut quam cito presbyter fuerit requisitus, ut ad infirmum deferat sacratissimum Corpus Domi-

\* Quae sequuntur, in cod. Petrop. desiderantur.

ni, statim ad ecclesiam accedens pulset campanam suam, ita quod a parochia sua audiatur; et tunc parochiani super hoc eruditi a presbyteris, ad ecclesiam veniant festinanter, pro societate usque ad domum infirmi dicto venerabili Sacramento et sacerdoti humiliter facienda, et iterum; presbyter abluat manus suas et procedens cum lumine, aqua benedicta et campanula ad infirmum, populus eundem bini et bini humiliter subsequatur. Et dum presbyter infirmo sacrosanctam Eucharistiam ministrabit, populus ipsum et Sacramentum ad ostium exspectabit, et cum eodem presbytero revertente usque ad ecclesiam pariter revertatur. Et cuilibet vere poenitenti et confesso, qui sic processerit et redierit cum dicto et ineffabili Sacramento, quinque dies pro eundo et quinque dies pro redeundo de injunctis sibi poenitentiis a suis episcopis relaxentur; ut per hoc devotio populi augeatur, et dicto honorabili Sacramento major honor et reverentia impendatur.

**Caput 19.**

*De benedictione ab episcopis in coena et prandio facienda,  
et de gratiis post prandium exhibendis.*

Olim solebat sacra mensa episcopi reputari, et de sacris episcopalibus mensae reliquiis solebant infirmi recipere sanitatem; et hoc forte virtute benedictionis episcopalibus, quam in principio mensae suaे ipse suis manibus

propriis sacratis et consecratis super convivantes et convivia effundebat; et in fine prandii episcopi gratiarum actiones ore proprio et soli Domino referebant. Nunc autem quidam episcopi, suum erubescentes honorem, super mensam suam benedictionem facere non dignantur, sed id fieri faciunt per aliquem capellatum, ac si milites essent et laici, quibus non competit sicut episcopo benedicere ex officio dignitatis; propter quod eorum fragmenta, nec aegros restituunt sospitati, nec mensae eorum sacrae, sicut antiquibus temporibus, reputantur. Cupientes igitur, ut episcopalnis mensa ad effectum et honorem pristinum revertatur, mandamus: ut quilibet episcopus in principio mensae sua dicto a capellano suo vel alio: *Benedicite*, idem incipiat vel alius capellanus, in prandio, versum: *Oculi omnium*, et in coena versum: *Edent pauperes*; et dicto ab episcopo: *Et ne nos*, dicat ipse episcopus, benedicendo dextra manu sua: *Benedic, Domine, nos et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum.* Et dicto a lectore: *Jube Domine, vel Domine jube benedicere*, dicat ipse episcopus, in prandio benedictionem: *Mensae coelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae, vel, cibo potuque spirituali reficiat nos etc;* et in coena benedictionem: *Ad coenam vitae aeternae perducat nos Rex aeternae gloriae.* Lector vero de Biblia vel de alio libro sacrae Scripturae, si voluerit episcopus, legat alioquin diebus Dominicis et festivis aliquam brevem lectionem de epistola vel de Evangelio.

Dicat et in diebus ferialibus lectionem: *Deus charitas etc.* Finito autem prandio dicat lector ad mandatum episcopi: *Tu autem etc.* et tum ille, vel qui in principio mensae dixit lectionem brevem praedictam eam in fine finiat dicendo: *Deus pacis et dilectionis maneat semper cum omnibus nobis.* *Tu autem, Domine etc.* et responsio: *Deo gratias.* Sequatur versus in fine prandii: *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua;* et in fine coenae dicat versum; *Memoriam fecit mirabilium suorum etc.* cum *Gloria Patri usque: seculorum. Amen.* Tunc dicat ipse episcopus: *Agimus tibi gratias, omnipotens Deus,* etc. responsio: *Amen.* Dicatur psalmus diebus Dominicis et festivis et quotidie in coena: *Laudate Dominum omnes gentes.* In diebus vero ferialibus et jejuniis, vel quando cum episcopo fuerint religiosi in mensa: *Miserere mei, Deus;* et qui quotidie dicere voluerint *Miserere mei Deus,* approbamus . . . . . \*

*Pater noster,* episcopus: *Et ne nos etc.* Et postea dicat preces consuetas: *Dispersit, dedit pauperibus.* In fine: *Oremus: Retribuere dignare Domine o. n. b. f. p. n. t. vitam aeternam,* dicat episcopus: *Benedicamus Domino:* alii: *Deo gratias.* Episcopus statim benedictionem dando circumstantibus dicat: *Benedicat vos qui creavit, redemit et pavit nos. Amen.* Et in fine episcopus: *Animae omnium fidelium defunctorum requiescant in pace. Amen.* Mandamus etiam vobis, ut cum per civitates et villas vestra-

\* In cod. Stron. sequuntur aliquot verba lectu et intellectu difficillima.

rum dioecesium transitum sacerditis equitando, manifeste benedicatis populum hinc et inde dicentes in silentio:  
*Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae,* ut per benedictionem vestram hujusmodi eidem populo peccata venialia remittantur.

### Caput 20.

#### *De promotione clericorum ad sacros Ordines.*

Novimus et experti sumus in alia regione, quod multi clerici in suis partibus conjugati, sive excommunicati, seu apostatae, vel alias reprobati suam parochiam, in qua cognoscuntur, plenius fugientes, ad partes istas accedunt, ut se faciant ad sacros Ordines promovere; et quidam episcopi in ista regione moti misericordia super tales, eos et passim et indifferenter ordinare praesumunt, in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Quod de cetero fieri prohibemus, statuentes, ut nullus episcopus hujus provinciae de cetero nullum clericum alterius dioecesis ordinare praesumat, nisi ab episcopo in cuius fuerit dioecesi oriundus, vel in cuius dioecesi beneficiatus existit, fuerit per suas patentes litteras, causam rationabilem continentest, quare ipsum ordinare non velit vel valeat, requisitus, vel nisi in dioecesi ordinandus tamdiu fuerit conversatus, quod idoneus sit inventus, et parochianus ejus merito debeat computari. Insuper vobis auctoritate, qua fungimur, districtius prohibemus, ne filiis sacerdotum clericalem tonsuram de cetero conferatis, nec eos

praesumatis ad sacros Ordines promovere, nisi prius cum ipsis fuerit auctoritate Apostolica super defectu natalium dispensatum.

Caput 21.

*Ut episcopi visitent cathedrales ecclesias.*

Nimis est indecens et indignum, quod aliqui episcopi, in civitatibus suis aliquantum commorantes, nunquam intrant ecclesiam cathedralem, nec visitant Crucifixum; sed plus quam extranei sunt a suis ecclesiis alieni. Et quia ex ipsorum praesentia debet ecclesia honorari, et divinum officium ampliari, mandamus: quatenus maxime in quadragesima et in adventu in ecclesiis cathedralibus suis, si fieri potest commode, resideant et in praedicationibus faciendis et confessionibus audiendis se studeant exercere, et erudire in fide et moribus clerum et populum civitatis. Et aliis temporibus dioeceses circumeant, visitationes et correctiones circa subditos solicite impendendo. Et quoties in civitatibus suis praesentes fuerint, nisi infirmitate vel alia causa rationabili fuerint impediti, in matutinis, missa et vesperis teneantur quotidie interesse, et in omnibus majoribus solemnitatibus vespertas, matutinas et missas cantare. Nec timore expensarum ab hujusmodi officiis spiritualibus retrahantur; sed sic in his faciendis curent imponere sibi modum, quod et ista faciant moderate, et illa ad quae tenentur praecipue, digne et laudabiliter facere non omittant.

Caput 22.

*De visitatione Gneznensis archiepiscopi per provincias suas  
singulis annis.*

Vobis autem, domine Gneznensis archiepiscopo, in virtute scilicet obedientiae, injungimus, ut supra vestram provinciam vigilantes, omnes vestros suffraganeos et eorum ecclesias annis singulis personaliter visitetis, correctionis et reformationis officium in clero et populo exercendo, et defectus episcoporum supplendo, secundum quod in constitutione, a sanctissimo Patre nostro Innocentio Papa quarto nuper edita, super visitatione archiepiscopali plenius continetur.

Caput. 23.

*De parochiano alterius matrimonialiter non copulando.*

Quum non licet rem alienam, invito vel ignorante domino, pertractari, vobis mandamus: quatenus in synodis vestris praecipiatis vestris subditis, ut nullus presbyter parochianos matrimonio audeat copulare alienos, ne forte, ignorans conditionem vel statum eorum, copulet prohibitos copulari. Quod si fuerint de diversis parochiis copulandi, ille sacerdos eos copulet in cuius parochia virgo vel mulier fuerit copulanda, quia a muliere vel a matre matrimonium nuncupatur; recepto prius testimonio competenti a presbytero viri, quod legitima persona existit ad matrimonium contrahendum; et similiter e converso. Qui autem contra fecerit, etiam si nullum impedimentum inter

copulatos apparuerit, ad arbitrium episcopi, vel ejus officialis poena debita puniatur. Si autem non copulandos eum apparuerit copulasse, etiam ignorantem, si fuerit vicarius vel plebanus, de toto episcopatu suo perpetuo expellatur. Si autem non curatus parochiae fuerit vel personae, per annum integrum ab officio et beneficio suspenderatur; et si fuerit assuetus (sic), ipso beneficio specialiter spoliatur.

### Caput 24.

#### *De tribus bannis ante matrimonium in ecclesia publice faciendis.*

Quum autem aliqui ab eadem parochia matrimonio copulandi fuerint, presbyter invocetur, qui inter eos celebret sponsalia de futuro, praesentibus bonis viris; et instruat mulierem, ut manum suam ponat in manum viri, qui dicat primo: *Ego tibi do fidem meam, quod ego ducam te matrimonialiter in uxorem meam, si sancta Ecclesia consentit;* et mulier similiter ei dicat. Et postea eis inhibeat presbyter, ne simul carnaliter misceantur, quousque inter eos in ecclesia matrimonium publice fuerit celebratum. Et extunc presbyter in ecclesia tribus diebus Dominicis vel festivis a se distantibus, banna faciat in ecclesia, pronuncians post Evangelium, quod talis fidem suam dedit tali de matrimonio si sancta Ecclesia consentit, contrahendo; et ipse sub poena excommunicationis praecipiat omnibus qui sciant aliquod impedimentum, quare fieri

non debeat matrimonium, ut infra tres dies in publico istud dicant; alioquin si non dixerint, de cetero non audi- antur, et peccatum illicite contrahentium illorum erit. Et si nullus apparuerit, celebret matrimonium inter eos; si autem aliquis apparuerit, qui dicat consanguinitatem, vel affinitatem, seu compaternitatem, vel aliud quodcumque impedimentum ibi esse, presbyter ulterius non procedat, sed episcopo loci vel ejus officiali denunciet, qui de dictis impedimentis cognoscat et judicet de eisdem. Qui au- tem de dictis bannis aliquod omiserit. absque episcopi vel officialis ejus licentia speciali, gravissime puniatur.

Caput 25.

*De raptu virginum.*

Quum ad ea, quae frequentius accidentunt, jura debeant adaptari, et raptus virginum in istis partibus frequentius debito, sicut audivimus, attentetur, vobis praedicta auctoritate praecipimus et mandamus: quatenus in vestris synodis vestris subditis, in virtute scilicet obedientiae, districte praecipiatis, ne aliqua ecclesiastica secularisve per- sona audeat a rapta virgine vel muliere requirere, an consentiat in raptorem, vel in eum, cuius nomine aliquam constiterit esse raptam; et si quis hoc fecerit, et propter consensum hujusmodi aliquae difficultates emerserint, gra- vissime puniatur. Consensum raptae duximus non tenere, donec in pristinam parentum et amicorum redierit pote- statem, secundum canonicas sanctiones.

**Caput 26.**

*De sententia lata contra incendiarios ecclesiarum.*

Si etiam reos sanguinis defendit Ecclesia, multo fortius illos debet defendere et tueri, qui ad eam confugiunt innocentes, ut in ea salvare valeant se et sua. Si quidam, inter sanctum et prophanum nullam differentiam facientes, ea facilitate succendunt ecclesias ut tabernas, ac homines et bona ipsorum, qui ad eas confugiunt, spoliant et usurpant in contemptum et in ruinam Crucifixi; ne igitur facilitas veniae in talibus de cetero occasionem tribuat delinquendi, nos omnes praedictos ecclesiarum incendiarios et spoliatores et etiam effractores coemeteriorum et eos, quorum consilio, auxilio vel mandato finnt de cetero supradicta, in praesenti concilio excommunicamus et anathematizamus auctoritate, qua fungimur, vobis injungentes, ut eosdem, cum de hoc vobis constiterit, excommunicatos, nominatim denunciari publice faciatis, singulis diebus Dominicis et festivis, candelis extinctis et campanis pulsatis, ne ignorantia se valeant excusare; et acrius evitantes, ne hujusmodi sententiam relaxetis absque summi Pontificis vel legati ejus mandato, vel licentia speciali.

**Caput 27.**

*De sacris fontibus, Corpore Christi, chrismate et oleo custodiendis.*

Quia multa maleficia in sacris fontibus, in quibus parvuli baptizantur, ac sacratissimo Corpore Christi Domini

nostri, ac in sacro chrismate perpetrantur, quando passim et indifferenter ad ea ingressus maleficiis aperitur; ideo vobis praedicta auctoritate mandamus: quatenus in vestris synodis sub certa poena praecipiatis, ut omnes praedicti fontes omnium ecclesiarum vestrarum dioecesum, necnon et chrisma et oleum etsacratissimum Corpus Christi sub clave serentur diligentissime et claudantur, ita quod nullus possit accessum ad eos habere, nisi quum fuerint parvuli baptizandi, vel infirmi communicandi vel ungendi: et tunc iterum festinanter propter maleficos recludantur, ne in eis valeant malignari.

### Caput 28.

#### *Contra archidiaconos non visitantes.*

Quum visitatio et procuratio adeo sunt connexae, ut unum sine altero non valeat exerceri, auctoritate qua fungimur vobis praecipiendo mandamus: quatenus archidiaconos vestros diligenter moneatis, ut quum secundum Apostolum, qui non laborat non debeat manducare, de cetero procurationis nomine nullam commutationem pecuniae recipiant vel requirant; sed tunc solum procurationem requirant, cum visitatio contigerit. Quod si hujusmodi mandatum contemnentes fecerint contra illud, et aliquem subditum defraudaverint dicto modo, ipsos ad restitutionem quadruplicem obligamus.

Caput 29.

*De denario Sancti Petri colligendo.*

Quum dominus noster Papa, de fidelitate vestra confisus, vobis, sicut audivimus, commiserit vices requirendi denarium Sancti Petri; paternitatem vestram rogandam duximus et monendam, et vobis auctoritate praedicta praeципiendo mandamus: quatenus super collectione dicti denarii vos studeatis solitos exhibere, et vestra diligentia ab ipso domino nostro Papa supra majora constituti, mereatis, ut a vobis culpam et poenam requirere alioquin non contingat.

Caput 30.

*De munitione coemeteriorum.*

Qui juste et religiose de resurrectione corporum cogitant, coemeterium, in quibus fidelium corruptibilia corpora somniantur, ut gloriosa resurgent, claudi muris et sepibus procurant, maxime cum beatissimus Augustinus dicat, quod honoranda sunt corpora defunctorum et maxime fidelium, quibus est, tamquam vasis et organis, Spiritus sanctus usus. Propter hoc Tobias studebat mortuos sepelire et Abraham speluncam, quae erat in agro Ephron, ad sepeliendum mortuos comparavit, ne lacerarentur a bestiis, quos sperabat sicut sol in gloria refulsuros, et tamquam scintillae in arundineto agiliter discursuros. Quocirca vobis mandamus praedicta auctoritate: quatenus coemeteria vestrarum dioecesium, quae clausa non sunt,

claudi taliter faciatis, quod honor eis debitus impendatur,  
et immunitates coemeterii et ecclesiae a terris circumja-  
centibus plenius discernantur.

### Caput 31.

#### *De symbolo et oratione Dominicali.*

Denique vobis injungimus: ut in vestris synodis presby-  
teris injungatis, quatenus singulis diebus Dominicis et  
festivis, post Evangelium, dicant publice, in vulgari suo,  
orationem Dominicam et symbolum, vel ad minus ora-  
tionem Dominicam in latino et symbolum in vulgari. Vi-  
dimus enim in vestris dioecesis aliquos centenarios  
homines, qui nesciebant omnino dicere quae credebant.  
**Datum apud urbem veterem, tertio nonas junii, pontifi-  
catus nostri anno secundo \***.

\* Nonnulla capitula hujus synodi v. c. de jejuniis et alia, quae in codice Wratislaviensi, testante rev. Richterio, inveniuntur, in nostris codicibus desiderantur.

— 9 —

18 Aug 1851.

### III. JANUSSIUS ARCHIEPISCOPUS GNEZNEN- SIS.

#### 1. Synodus Siradiensis. a. 1262 \*.

In nomine Domini Amen. Nos Ianussius, miseratione Divina, Gneznensis archiepiscopus una cum suffraganeis nostris, Cracoviensi, videlicet, Wratislaviensi, Lubucensi, Cujaviensi, Poznaniensi et Mazoviensi episcopis, ac aliis nostris et eorum inferioribus praelatis et subditis in Siradz in synodo congregati, ad honorem Dei et ad salutem animarum ac praesertim Ecclesiae, renovantes et firmiter observari praecipientes synodales constitutiones praedecessorum nostrorum, aliqua inferius adnotata, seu declarando sive de novo constituendo, praefatis praedecessorum nostrorum constitutionibus duximus adnectenda, constituentes ut:

---

\* Statuta hujus synodi jam edita sunt a nobis anno 1852, in libro superiorius citato: *Biblioteka Warszawska*.

**Caput 1.**

Quicumque venditionem decimarum liberam manifeste vel occulte quacumque machinatione vel dolo impediverit, seu decimas injuriose detinuerit, convictus pro uno quoque aratro parvo, quod *radlo* dicitur, lapidem cerae, pro magno autem, quod *plug* nominatur, duos lapides cerae persolvat; et tamdiu excommunicationis sententia innovatus teneatur, si quae praediximus in termino sibi assignato facere contempserit, donec omnia ex integro persolvat.

**Caput 2.**

Item statuimus: ut si quis in villa sua decimam colligendam seu collectam locari prohibuerit, cuius villa fuerit, tamdiu excommunicetur in sua parochia et aliis vicinis ecclesiis, et ipsa villa sit subdita ecclesiastico interdicto, donec damnum, quod ex ejus prohibitione dominus sustinuerit decimae, ipsius domini vel ejus procuratoris juramento declarandum, ad plenum fuerit ei, ad quem decima pertinet, solutum.

**Caput 3.**

Ad haec statuimus, et sub poena excommunicationis jam prolatae prohibemus, ut nullus in villis ecclesiae seu apud homines earundem villarum, adscriptitios vel liberos, *podwodas* accipere praesumat, nisi in tribus casibus: si videlicet traditio ducis vel alicujus castri subita timeatur,

vel si exercitus in terram ingrediens fuerit nunciandus. Et in his scriptis casibus, qui ipsas *podwodas* acceperit, prima opportunitate sibi occurrente, sine qualibet fraude dimittat et in eo loco relinquat, ubi ab his, quorum fuerint, absque difficultate possint recuperari. Qui autem praeter hos casus in villis vel ab hominibus praefatis ipsas receperit, vel in casu licito acceptas detinuerit, vel alienaverit, vel usibus propriis aliquo tempore deputaverit, tamdiu in locis, in quibus dioecesano expedire videbitur, denuncietur excommunicatus, donec ipsis *podwodis* restitutis, damnum quod inde ipsarum domini passi fuerint, eis fuerit ex integro persolutum.

**Caput 4.**

Ad haec firmiter prohibemus, ne quis clericos ad judices protrahat seculares, statuentes, quod judex qui ad suam praesentiam ipsos scienter citari praeceperit et actor, qui citationem procuraverit tamdiu excommunicacionis sententiae subjecti detineantur, donec de injuria et damnis, quae ex hujusmodi citatione ipso citato evenerint, juxta arbitrium dioecesani satisfaciant.

**Caput 5.**

Item inhibemus, ne qui in detrimentum vel fraudem decimarum, quascumque villas seu terras eo jure, ne decimae manipulatim in campis persolvantur, locare seu locatas detinere presumant; donec cum domino decimae

de consensu episcopi dioecesani, infra duorum mensium spatium plenarie, a publicatione hujusmodi constitutionis, componant. Alioquin dominus et scultetus villa excommunicationi et ipsa villa ecclesiastico interdicto subjaceant, donec vel decimam in campo persolvi faciant, vel prout praemisimus, cum domino decimae, componant.

#### Caput 6.

Statuimus insuper: ut ad quemcumque terrae, decimam in *gonitwam* solventes, quocumque titulo, devenerint, possessor et cultor ipsarum terrarum ei de ipsis terris decimam persolvat, cui ab antiquo solvi consueverat, nulla consuetudine vel privilegio nobilitatis obstante.

#### Caput 7.

Item statuimus et districte omnibus episcopis praecipimus: ut quotiescumque aliquis principum excommunicato contumaciter communicaverit, in ipsius principis curia, donec ipsum excommunicatum a curia et sua familiaritate ejecerit, divinum officium et ecclesiastica sacramenta interdicantur.

#### Caput 8.

Ad haec statuimus, sub anathemate prohibentes, nequamquam *dzewicze*, *wdowicze* \*, *pastérne* (sic) recipiantur. Actum anno Domini Millesimo. CC.LXII. in die beati Lamperti episcopi et martyris gloriosi.

---

\* Cod. Stron. *wdowine*.

## 2. Synodus Camiensis incerti anni.

Constitutiones domini Janussii archiepiscopi et omnium episcoporum editae in *Camon* (sic) juxta *Swandram* (sic) fluvium ultra *Kalisz*, in colloquio principum Poloniae.

Quum praelati ecclesiae esse debent quasi Cherubim in templo Dei, porrigentes invicem alas altrinsecus mutuae protectionis ac defensionis, juxta Apostolum, supportantes se invicem in charitate, ut pugna unanimiter aggressa, victoram pariat; debet esse eorundem cor unum et anima una, si vere velint videri Apostolorum Christi pedissequi, ac vicarii, ut ecclesiae possint dicere: *pro partibus tuis nati sumus* etc. Unde volumus: ut communis reputetur injuria omnium episcoporum et praelatorum, si cui praelato vel ejus subdito injustum inferatur gravamen; ut omnes sint ejus protectores, eidem subsidium, pro posse, ferentes opportunum, defendendo et sustentando, si forte exilium vel aliud injustum gravamen a quocumque patiatur injuste. Et quicumque ab universitate discordaverit, ipso jure sit suspensus a divinis. Licet conspiratores per Chalcedonense \* et Toletanum \*\* et Aurelianense \*\*\* concilia multis poenis addicantur, scilicet excommunicationis ac depositionis, tam monachi quam clerici, et Fabianus Papa judicium secularium judicio eos tradidit

---

\* Concilium Chalcedonense c. 18.

\*\* Con. Toletanum IV. c. 75.

\*\*\* Conc. Aurelianense III c. 21.

puniendos, ac infames esse statuit, et omni spe restitutionis privavit; \* nonnulli tamen in suos praelatos aut pastores temerario ausu ad conspirandum juramenta, aut conventicula, seu fraudes clanculo facere praesumuntur, suae salutis immemores, cum Apostolus dicit: *Obedite praepositis vestris, quia ipsi pervagilant, quasi rationem pro vobis reddituri;* et damnum est filiis parentes non agnoscere; unde quum frequenter audivimus, tam in claustris, quam in conventionalibus ecclesiis, et in praelatorum plerumque conventiculis talia fieri, ut tales omnes ipso facto anathema incurvant, et a beneficiis ecclesiasticis penitus sint alieni. Similiter juxta canonum censuram jam dictorum, et maxime juxta Calixti \*\* Papae statutum, facientes et consentientes talibus simili subjaceant ultioni canonicae, sine spe restitutionis quantum ad beneficia; ut vexatio det intellectum. Similiter quicumque solatium amicorum viris ecclesiasticis astute vel malitiose subtrahunt, ut in hoc puniantur in quo deliquerunt, et legem juste patiantur in se, quam in alios statuunt injuste, solatione ecclesiae sacramentorum omnino se neverint destitutos \*\*\* excepta poenitentia mortuorum et baptismate parvolorum.

\* Fabiani Papae Epistola II ad omnes orientales episcopos, in Mansii: Supplementum ad Concilia Veneto-Labbeana T. I p. 662.

\*\* Calixti I Epist II in Mansii: Supplementum ad Concilia Veneto-Labbeana T. I p. 630.

\*\*\* Cod. Stron. adjicit: *a communione.*

bonumque ac iniuria lege punit, et omni ab legi iniuria  
penitentia penitentia in nos praecedit ut punitio te-  
mperio non haec estimatur iuris ius, accidens  
non iuris iustitiae ius, punitio punitum est  
iuris iustitiae cum iuris iustitiae. Quidam in iudiciorum  
actis dicitur iuris iustitiae ius, quod iuris iustitiae  
est iuris iustitiae ius, et iuris iustitiae iuris iustitiae  
iuris iustitiae iuris iustitiae iuris iustitiae iuris iustitiae  
**IV. GUIDO CARDINALIS LEGATUS.**

**Synodus Wratislaviensis. a. 1266.**

Guido, miseratione Divina, tituli sancti Laurentii in Lu-  
cina presbyter cardinalis, Apostolicae Sedis legatus in  
provincia Poloniae: ad perpetuam memoriam.

Postquam Deus formavit hominem ad imaginem et si-  
militudinem suam in aetate virili, cum ipso etiam jus  
naturale produxit; jus enim naturale originem a creaturae  
rationalis coepit exordio. Quod quidem ad dispositionem  
omnem mundi nascentis et temporis motum sufficeret,  
si non sibi mortem, quam Deus non fecit, rationalis crea-  
tura propriis manibus et pedibus quaesivisset. Haec juris  
instituta primaevi protinus justitia positiva subsequitur,  
ab eodem regulariter procedens, qui sub mortis inter-  
minatione morsum pomi noxialis prohibuit; qua prohi-

bitione contempta maledictionis sententia prodiit ab Auctore, ut non tantum ultio inferretur in auctores sceleurum, verum etiam in progenies damnatorum. Exhinc usu hominum exigente et dominio rerum introducto, quod juris primaevi regula nesciebat, ex humanis necessitatibus, quaedam sibi jura homines considerunt. Traditae sunt etiam ad nos per Moysen justitiae leges, quorum singulis pene syllabis Christus includitur; deinde prophetae insequuntur et reges, qui Christi praeconia evidentiore sermone describunt; donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate figurisque cessantibus, Rex noster in aeternum jura mansura disposuit. Datae sunt enim Petro claves perpetuae, a quo totius juris ecclesiastici pulchritudo manavit, quae ad singulas provincias, ad vindictam in nationibus et increpationes in populis faciendas, nunc per summorum Pontificum, nunc per Sedis Apostolicae legatorum statuta, tamquam per quosdam rivulos demanatur, ut hominum quotidie crescente malitia et effrenata cupiditate, quae nova litigia non cessant generare, sub discretione jurium coartata, disceat honeste vivere, alterum non laedere, jus suum unicuique tribuere. Hinc est, quod quum Pater noster sanctissimus, dominus Clemens Papa quartus ad Gneznensem provinciam cum plenae legationis officio nos duxerit transmittendos, officii nostri debitum libenter exequimur, evellendo, scilicet, evellenda, plantando recta, gerendo et dirigendo salubriter in Domino.

Caput 1.

Verum quia expedit ad profectum et robur fidei christiana, ut sacramenta ecclesiastica, in quibus tamquam in vasis medicinalibus populus devotus et humilis antidotum gratiae recipere consuevit, in honore et reverentia ab omnibus habeantur, quum ea plerumque contingat effici vilia propter vilem et abominabilem ministrorum ecclesiae conversationem, universis personis ecclesiasticis provinciae Gneznensis districte praecipimus: ut in victu, gesitu et aliis operibus ac circumstantiis status sui, sic honeste se habeant et decenter, ne propter ipsos nomen ecclesiasticum inter laicos blasphemetur. Eisdem imprimis districtus injungimus inhibentes: ne de patrimonio Crucifixi inimicos se faciant crucis Christi, sicut illi, quorum deus venter est, qui terrena sapiunt et non divina; ut in conviviis suis, modestiam et mediocritatem observent, superfluitatem indebitam resecantes, ebrietatem, omnem vitiorum fomitem et nutricem devitent; praelati vero a gravaminibus abstineant subditorum; et maxime quum ecclesias visitant, moderentur expensas, coerceant evectionum numerum, prout in generali concilio extitit definitum. \* Praesentis igitur concilii approbatione praecipimus: ut clerici continenter et caste vivere studeant, quatenus puro corde et mundo corpore Deo possint in officio ecclesiastico ministrare. Si qui vero de cetero deprehensi fuerint detinere concubinas publice, nisi infra mensem se ab eis et

\* Concilium Lateranense III c. 16.

earum consortio separaverint, ita quod in domibus ipsarum aut propriis aut aliis quibuscumque non cohabitent, nec ad illas accedant, extunc omni beneficio ecclesiastico sint privati, et per eos, ad quos eorundem beneficiorum spectat collatio, personis idoneis conferantur. Episcopos vero et archidiaconos, qui hujusmodi concubinarios, ex quo de ipsorum crimine sibi constiterit, in beneficiis toleraverint contra sententiam antedictam, extunc suspendimus a divinis. Eisdem nihilominus sub eadem poena firmiter injungentes: ut ecclesias, quarum ad ipsos pertinet visitatio, per se vel vicarium idoneum, usque ad trienium, visitent bis in anno; a termino triennii vero semel: ne pretextu alicujus ignorantiae se valeant excusare.

## Caput 2.

Item quum in plerisque locis quorundam iniquitas invaluerit, quod in rebus ecclesiae furtum reputatur sagacitas, rapina probitas et violentia fortitudo, synodali judicio definimus: ut qui bona ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instans Pascha eadem restituerint, et de damnis ac injuriis satisfecerint competenter, extunc ecclesiae introitum sibi noverint interdictum, nec ab episcopis aut aliis ecclesiarum praelatis ad communionem Domini corporis admittantur. Qui vero obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus clericus secularis vel regularis sepulturae ipsorum interesse praesumat.

Adjicientes; ut singulis annis in synodo, illi qui clericos capiunt, verberant vel occidunt aut alias manus in ipsos injiciunt violentas, excommunicati denuncientur, et nominatim illi, de quibus constiterit manifeste. Quicumque vero personam ecclesiasticam vulneraverint, mutilaverint vel occiderint aut captivaverint, nonnisi per Sedem Apostolicam absolvantur, et ipso facto, si quid tenebant ab ecclesia, illud perdant, et in utilitatem ecclesiae convertatur. Adjidentes: quod in illa dioecesi, in qua aliquem canonicum cathedralis ecclesiae, vel in dignitate ecclesiastica constitutum capi contigerit, vel captum detineri, usque ad liberationem et exhibitionem debitae satisfaktionis, cesseretur generaliter a divinis. Similiter et in illa parochia, in qua res clericis violenter ablatas capi vel detineri contigerit, usque ad restitutionem et satisfactionem congruam, a divinis cesseretur \*.

### Caput 3.

Item quum matrimonii sacramentum non sit incontinentiae praecipitium sed magis remedium, contra illud, non absque dolore cordis audivimus, quosdam, in hac provincia, sic a suae carnis voluptate vel terrena cupiditate deceptos, quod in gradu prohibito de facto temere contrahen-

---

\* Hoc capitulum synodi Wratislaviensis, a Guidone celebratae, relatum extat in literis Janussii archiep. ad Mestwinum ducem Pomeraniae a. 1267 missis et jam typis editis in T. II p. 75, 76 Codicis Diplomatici Poloniae (Varsiae a. 1848) et in Damalevci Vitis Praesulum Wladislaviensium p. 190, 191.

tes, quod non tam matrimonium, quam contubernium debet dici, se in incestuosae luxuriae vilitatem immergere et sacramentum matrimonii, quantum in ipsis est, polluere non verentur. Nos itaque tantum excessum conniventibus oculis pertransire nolentes, sub poena excommunicationis districtius prohibemus, ne absque dispensatione Sedis Apostolicae tale deinceps matrimonium seu contubernium contrahatur; alioquin sacerdotes, qui tales conjunxerint, sacerdotali officio neverint se suspensos: illi vero qui sic scienter permiserint se conjungi, ipso facto ab ingressu ecclesiae suspendantur. Sub eadem quoque poena illis, qui jam absque dispensatione tale matrimonium contraxerint, districte praecipimus, ut ab cohabitatione invicem abstinentes, dioecesano suo vel alii praelato, ad quem de jure vel consuetudine pertinere dinoicitur talium cognitio causarum, rei veritatem insinuare non tardent: qui vocatis, qui fuerint evocandi, et causa diligenter examinata, quod canonicum fuerit, statuat, faciens, quod decreverit, per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Episcopi vero, seu alii praelati de causis matrimonialibus cognoscentes, omnino caveant, ne cupiditate devicti, non solum non dirimenda dirimant, verum etiam separanda reintegrari pretextu pecuniae, vel etiam temporalis alterius commodi praesument. Si qui autem contra hoc venire praesumpserint interdictum, eo ipso se neverint officio beneficiisque privatos.

Caput 4.

Item quum detentores plurium personatum vel dignitatum seu beneficiorum cum cura, sine dispensatione, sint sacrorum canonum transgressores, et fructus talium beneficiorum percipiendo, furtum committere dinoscuntur, praesenti decreto statuimus: ut omnes, qui hujusmodi dignitatum seu personatum seu beneficiorum cum cura pluralitatem retinent, super haec securi dispensatos fuisse, coram nobis infra medium quadragesimam doceant manifeste: alioquin extunc ultimo beneficio recepto sint contenti, et alia quae prius habuerint nostrae collationi reservamus: decernentes irritum et inane si secus a quam fuerit attentatum. Si vero utrumque retinere contenterint, hos ipsos et primis et ultimis decrevimus extunc manere privatos.

Caput 5.

Item ad aures nostras quorundam laicorum gravis excessus pervenit, qui contra ecclesiasticam libertatem quedam statuta, quae leges iniquae possunt verius apellari, introducere non verentur et licet contra hujusmodi presuppositores per Summos Pontifices olim processum extiterit, nos tamen propter transgressorum audaciam, non tam nova cudentes, quam vetera renovantes, omnes illos, qui in Gneznensi provincia de cetero statuta ediderunt ad consuetudines introductas contra libertatem ecclesiae, excommunicamus in his scriptis, nisi ea de capitularibus

suis infra instans Pascha fecerint amoveri. Excommuni-  
camus etiam statutarios et scriptores statutorum ipsorum,  
nec non consules et rectores ac consiliarios locorum, in  
quibus de cetero hujusmodi statuta et consuetudines edi-  
tae fuerint vel servatae, necnon et illos, qui secundum  
ea praesumpserint judicare, vel in formam publicam  
scribere judicata. Sub eadem districione principibus se-  
cularibus inhibentes, ne ecclesias vel ecclesiasticas per-  
sonas vel homines ecclesiarum seu in ecclesiarum praediis  
commorantes, talliis vel collectis agravare praesum-  
mant. Verum si quando episcopus simul cum clericis  
suis tantam necessitatem vel utilitatem prospexerint, ut  
absque ulla coactione ad relevandas utilitates vel commu-  
nes necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates,  
subsidia per ecclesias duxerit conferenda, nullatenus hoc  
praesumant, nisi prius Romanus Pontifex consulatur,  
cujus interest omnibus utilitatibus providere. Quicumque  
vero episcopus vel praelatus in contrarium venire praesum-  
perit, tam ipse, quam illi qui in hoc facto sibi con-  
silium dederint, quousque per Sedem Apostolicam ab-  
solvantur, suspensi maneant a divinis.

#### Caput 6.

Item quum levitis seu ecclesiasticis personis jure divino  
decimae debeantur, dolentes referimus, quod quorundam  
laicorum cupiditas jus hujusmodi, quod sibi Deus in sig-  
num generalis dominii retinuit, nititur abolere, et pro sua

voluntate de his, quae ad ipsos non pertinent, aliter ordinare, imo potius deordinare praesumunt, quasi a se divini jugum servitii velint excutere, quod in baptimate sunt profissi. Hujus approbatione concilii districte praecipimus: ut juxta laudabilem consuetudinem patriae, decimae in agro persolvantur; nec liceat alicui laico nobili vel ignobili, cuiuscumque dignitatis vel principatus existat, consuetudinem memoratam propria temeritate infringere; quin etiam ipse de propriis terris, quae suis sumptibus excoluntur, decimas integraliter persolvat; nec propria voluntate, imo potius praesumptione eas cuiquam aliae ecclesiae vel personae conferat; sed illas absque ulla contradictione percipiat, qui de eodem loco decimas percipere consuevit. Si vero terras suas aliis tradiderint excolendas, eas nec in toto, nec in parte a solutione decimarum praesumant absolvere; quum non sit justum, ut ea, quae Dei sunt et ministrorum ecclesiae, personis conferant alienis; sed tam de sexto manso, quam de omnibus partibus aliis ipsi coloni decimas integraliter persolvere non omittant. Alioquin tam ipsos colonos, quam defensores seu fautores eorum, ab hac praesumptione, quae furtum vel rapina non immerito dici potest, per denegationem ecclesiasticae sepulturae et subtractionem ecclesiasticorum sacramentorum praecipimus coerceri. Adjicientes et sub poena excommunicationis prohibentes, ne aliquae seculares vel ecclesiasticae personae solutionem decimarum in hac provincia, tam laudabiliter observatam commutare praesumant in

pecuniariam pensionem; ipsas tamen decimas sibi a colonis redditas vendere poterunt, prout utilitati suae et ecclesiarum viderint expedire. Et quicumque laicus nobilis vel ignobilis hujus modi venditionem clam vel palam impedire praesumpserit, quoisque digne satisfecerit de tali commisso, introitum ecclesiae sibi noverit interdictum. Verum sicut laicos circa praceptum de decimis persolvendis esse volumus obedientes, sic eos a gravamine ecclesiasticarum personarum, quod eis inferre dicuntur super dilatione vel mora percipiendi decimas relevare volentes, praesenti decreto statuimus: ut non obstante aliqua constitutione, ordinatione seu compositione, postquam segetes in agro collectae fuerint, ei cui decimae debentur, sub testimonio competenti et per intervalla congrua, quorum quodlibet ad minus duos dies, trina fiat denunciatio, ut decimam suam tollat; ne propter ejus dilationem vel moram ipsi coloni in suis novem partibus sustineant detrimentum: alioquin elapso triduo a tempore denunciationis ultimo facto, novem partes suas libere sibi liceat, ubi voluerint collocare. Nos enim sententias excommunicationis vel interdicti, quas hac occasione fieri contingit in colonos, irritas decrevimus et inanes.

Caput 7.

Item irrefragabili sanctione statuimus: ut nullus clericus clericum in civili vel criminali causa, reicto suo Pontifice, ad judicium pertrahat seculare; alioquin ipso

jure causam amittit in negotio civili, et in criminali causa depositionis sententiam non evadet. Praeterea cum nullus falcem in messem debeat mittere alienam, districtius inhibemus, ne laici clericos super aliqua causa, praesertim super homicidio vel aliis criminibus condemnare praesumant. Quod si quisquam hoc deinceps attempaverit, nos ejus sententiam nullam esse decrevimus, et ipsum ab ingressu ecclesiae usque ad beneplacitum dioecesani episcopi decrevimus manere suspensum. Simili quoque poenae subjaceat laicus, qui clericum super rebus ecclesiasticis ad judicium traxerit seculare. Et ne forte propter occupationem et absentiam episcoporum conqueri volentes, invenire non possint in foro ecclesiastico justitiae complementum, domino archiepiscopo Gnezeni et ejus suffraganeis in virtute obedientiae districtius praecipimus: ut unusquisque eorum infra medium quadragesimam officialem in civitate sua juxta ecclesiam cathedralem constituat, cui in causis audiendis et censura ecclesiastica exercenda committat plenarie vices suas; infra eundem terminum constituat etiam aliquem virum discretum et honestum, constitutum in ordine sacerdotis, cui similiter vices suas committat in confessionibus et poenitentiis injungendis; ut in utroque foro populus christianus apud sanctam Ecclesiam inveniat remedium salutare. Quicumque vero haec infra terminum praetaxatum non adimpleverit, ab officii episcopalnis executione ipsum decrevimus extunc manere suspensum.

**Caput 8.**

Item sub poena suspensionis, quam exnunc ferimus in rebelles, statuimus, quod episcopi suppleant archidiaconum negligentiam in clericorum visitationibus faciendis; consuetudine qualibet non obstante; pro visitatione vero facienda seu procuratione nullus recipiat pecuniam; sed quum per ipsum vel idoneum vicarium ad visitandum accedat, necessariorum administratione sumptuum sit contentus, et ipsi archidiaconi, quum visitant, septenarium evectionum numerum non excedant.

**Caput 9.**

Item quum ad aures nostras frequens clamor pervenerit, quod quidam nobiles et potentes, tam clerici quam laici, sub specie hospitalitatis bona monasteriorum et ecclesiarum seu ecclesiasticarum personarum devorant et devastant, nimis frequenter et cum effrenata multitudine hospitantur, ut longioris temporis victum brevis hora consumat, sub excommunicationis poena districte praecipimus: ut omnes de provincia Gneznensi tam clerici quam laici ab hujusmodi monasteriorum et ecclesiarum gravationibus abstineant; qui vero ab hujusmodi gravationibus non abstinerint, seu a predictis monasteriis vel ecclesiis contra religiosorum vel secularium clericorum voluntatem quidquam extorserint, vel ex vana seu simulata confidentia annonam seu alias res clericorum absque eorum mandato erxatctare praesumpserint, eisdem usque ad satisfactio-

nem condignam introitus ecclesiae denegetur. Episcopi tamen et alii, quibus de jure vel approbata vel praescripta consuetudine procuratio debetur, ipsam poterint recipere, servato moderamine concilii generalis.

### Caput 10.

Item omnibus Christianis hujus provinciae sub poena excommunicationis districtius inhibemus: ne Judeos vel Judeas secum ad convivandum recipient, vel cum eis manducare vel bibere audeant, aut etiam cum ipsis in suis nuptiis vel in conviviis saltare vel tripudiare praesumant; ne Christiani carnes venales seu alia cibaria a Judeis emant, ne forte per hoc Judei Christianos, quos hostes reputant, fraudulenta machinatione venenent. Adjicientes: ut de cetero quocumque pretextu Judei a Christianis graves seu immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisficerint competenter. Unde Christiani, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur ab eorum commerciis abstinere. Principibus autem injungimus, ut propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius a tanto gravamine Judeos studeant cohibere.

### Caput 11.

Volumus autem, sub poena excommunicationis praecipientes, ut dominus archieписcopus Gneznensis et ejus

suffraganei has constitutiones nostras sigillo nostro habeant sigillatas, easque singulis annis in synodis episcopilibus et in provinciali concilio faciant recitari, et diligentius observari, et ea quae tangunt laicos, faciant per parochiales ecclesias suorum dioecesanorum publicari.

### Caput 12.

Item quum adhuc terra Polonica sit in corpore christianitatis nova plantatio, ne forte eo facilius populus christianus a cohabitantium Judeorum superstitionibus et pravis moribus inficiatur, quo levius atque citius christiana religio in fidelium cordibus in his partibus est plantata, districte praecipimus: ut Judei in hac provincia Gneznensi commorantes, inter Christianos permixti non habitent; sed in aliquo sequestri loco civitatis vel villae domos suas sibi contiguas sive conjunctas habeant; ita quod a communi habitatione Christianorum sepe, muro, vel fosso Judeorum habitatio separetur. Praecipimus autem: ut per episcopum dioecesanum et per dominum temporalem tam Christiani quam Judei, quorum domus intermixtae sunt, ut ad venditionem seu permutationem earum ad arbitrium bonorum virorum, censura qua convenit, compellantur. Quod si haec separatio infra proximum festum natale sancti Johannis Baptistae non fuerit adimpta, tam dioecesanus loci, quam dominus temporalis ingressum ecclesiae extunc neverint sibi interdictum, si jurisdictionis seu interdictionis officium exercere distule-

rint in rebelles. Interim autem, si Sacramentum altaris ante domos Judeorum deferri contingat, ipsi Judei, auditio sonitu primo, intra domos suas se recipient et fenestras ac ostia sua claudant. Postquam autem haec separatio facta fuerit, decrevimus, ut Judei in una civitate vel villa unicam tantum habeant synagogam.

### Caput 13.

Item statuimus atque ordinavimus: ut Judei cornutum pileum, quem quondam in istis partibus consueverunt deferre, et sua temeritate deponere praesumpserunt, resumerent, ut a Christianis discerni valeant evidenter, sicut olim in generali concilio fuit definitum. Quicumque autem Judeus sine tali signo deprehensus fuerit incedere, ad morem terrae poena pecuniaria puniatur.

### Caput 14.

Item praecipimus: ut Judei sacerdoti parochiali, infra cuius parochiae terminos manserint, pro eo, quod loca in quibus Christiani habitare deberent occupant, juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium dioecesani loci, omnes proventus refundere compellantur. Prohibemus etiam: ne stubas et balnea seu tabernas Christianorum frequentent, nec servos aut ancillas aut nutrices seu quaecumque mancipia die noctisque in suis domibus retinere praesumant; nec ad recipiendum the loneum seu aliud publicum officium aliquatenus assu-

mantur. Si quis vero Judeus cum aliqua Christiana fornicationis vitium deprehensus fuerit commisso, quoadusque decem marcas ad minus pro emendatione solverit, districto carceri mancipetur, et mulier christiana quae tam damnatum coitum peregerit, per civitatem fustigata, de ipsa civitate sine spe redeundi penitus expellatur.

PHILIPPIENSIS EPISTOLA  
CAPITULI

Constitutio scilicet per legem ipsam quoniam  
non habebunt nisi liberum. Tunc vero obsecrum in Tunc  
vires Tropico, Dalmatia, Crotia, Hungaria, Boemia, Lodo-  
wicia, Ossilia, et Cumnia Abheliae Beogradum, ob  
conciilio et consensu ecclesiarum obsecracionum, Christobalmarum  
suae spissam bisecracionem stipendiacionem, pro  
tum ministeriorum estacionum, sustentacionem, et  
lum conseruationem et servitum pecuniarum et ceteri

ibi multum tunc haec sepe. Tunc etiam etiam in eis, quae  
in hoc statim etiam, quo modo in subiecto. Ille enim obsecrum tunc  
est, ut secundum eum, non sit haec (770—771 q. 802. II. Tunc  
hunc, et sic in ministerio obsecracione, et cetero) in multis  
modis, ut vel in ecclesiasticalibus, et vel in civilibus, et  
secundum eum, (771—772 q. 802. II. Tunc) in multis  
modis, ut vel in ecclesiasticalibus, et vel in civilibus, et

V. PHILIPPUS FIRMANUS EPISCOPUS LE-  
GATUS.

## Synodus Budensis anni 1279 \*

Constitutiones editae per venerabilem patrem dominum Philippum, Dei gratia, Firmanum episcopum in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia, Rania, Servia, Lodomeria, Gallicia, et Cumania Apostolicae Sedis legatum, de concilio, et consensu archiepiscoporum, episcoporum, atque abbatum, praepositorum, archidiaconorum, priorum, ministrorum, custodum, guardianorum, plebanorum, canonicorum, et aliarum personarum et clericorum.

\* Partem primam synodus Budensis a cap. 1. usque ad cap. 75 medium edit primus Odericus Raynaldus in opere suo *Annales Ecclesiastici* (ed. Luc. a. 1748 Tom. III. Supl. p. 623—636) ad fidem codd. msc. Vaticanani et Vallicellani. Eum secuti sunt: Cossartius in *Collectione Conciliorum Regia* (ed. Mansi T. XIV p. 637—672); Carolus Peterffy in *Sacris Conciliis Ecclesiae Romanae Catholicae in Regno Hungariae.* (Viennae a. 1742 p. 105—125), denique Stephanus Endlicher in *Monumentis Rerum Hungaricarum Arpadianis* (Sangalli a. 1849 p. 565—602).

corum, necnon capellanorum, tam cathedralium, quam aliarum ecclesiarum secularium et regularium: cisterciensis, sancti Benedicti, praemonstratensis, sancti Augustini, praedicatorum et minorum ac aliorum ordinum, congregatorum in concilio celebrato in castro Budensi, Vesprimiensis Dioecesis, per eundem dominum legatum, ad honorem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, ad reverentiam et honorem sanctae Romanae Ecclesiae et beatissimi ac sanctissimi Patris domini Nicolai Papae III et successorum ejus; ad relevationem, fulcimentum, ac defensionem fidei catholicae et ecclesiasticae libertatis, necnon reformationem vitae, morum et actuum cleri et populi legationis praedictae. Sub anno Domini 1279, Indictione VII, die quarta decima intrante septembri, in qua videlicet, die terminatum fuit concilium supradictum, pontificatus praefati sanctissimi Patris domini Nicolai Papae III anno secundo.

**Caput 1.**

*De vita et honestate clericorum.*

Quia sicut praelati quoisque sibi subditos dignitate et auctoritate praecellunt, ita moribus, vita, habitu et conversationis honestate praecellere et praecedere debent eosdem; quum eorum vita, si sit bona, et amplius si sit mala, trahatur a subditis in exemplum, statuimus: quod ipsi praelati coronam et tonsuram patentibus omnino auribus circularem, juxta regularium seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, quum nulla religio

Pontificali religione sit major, de cetero deferant ab omni excessu in capillis et defectu notabili in corona protinus abstinentes; sic enim servantes in praedictis, sibi subditos poterunt reformare.

*Caput 2.*

*De habitu praelatorum.*

Praeterea statuimus et ordinamus: quod praelati de cetero, quum equitant vel etiam in publico pedestres incedunt, habeant et deferant cappas rotundas, sub quibus habeant et deferant camisias albas sive rosetas; quas semper sub cappis sive mantellis ante pectus vel post collum hinc inde connexis, deferant, quum in publico, hoc est, extra secreta habitationis eorum, ipsos contigerit ire vel stare.

*Caput 3.*

*De eisdem praelatis.*

Prohibemus autem, ne ipsi praelati de cetero deferant vel habeant mantellos, cum quibus hactenus. equitare et quos etiam in propriis et alienis hospitiis, non solum coram famulis suis, sed etiam coram aliis consueverunt deferre. Permittimus autem, quod possint habere mantellos rotundos sive tabardas longitudinis moderatae, eosque deferre cum capuciis separatis ab eis, tempore pluvioso et nivoso, seu pruinoso, et quum ad exercitus seu curiationes aut expeditiones, ex justis et necessariis causis, a sacris canonibus minime reprobatis, eos contigerit proficisci.

Insuper prohibemus, ne praelati, vel ecclesiarum cathedralium canonici aut aliqui alii in personatibus, dignitatibus seu in sacris ordinibus constituti deinceps, sub mantellis vel cappis, pro foratura vestes quorumcumque colorum sive varietatum, nisi forte varietates hujusmodi essent in pellibus agninis, vulpinis, et lynceis, seu zendarum rubeum, vel in aliquibus vestibus fimbrias, hoc est, premidiones, seu ornamenta nobilia exterius apposita de ludria, seu bivaria, seta, aut de aliqua alia simili materia deferant ullo modo.

**Caput 4.**

*De prohibitione ornatus.*

Prohibemus, ne praelati, aut alii in dignitatibus, personatibus, seu canonicatibus ecclesiarum cathedralium, seu collegiatarum, sive in ecclesiis curam animarum habentibus aut in sacerdotio constituti manicas deferant consutilias, nec togas, sive guarnacias, seu supertunicalia aut quaecumque alia vestimenta desuper portent aperta; sed ipsa superiora indumenta circumcirca usque ad fimbrias habeant clausa, nulla collaria, nisi forte in tabardis vel mantellis ad equitandum, circumcirca omnino rotunda, vel botones, sive fibulas aureas, vel argenteas, aut aliquid auri vel argenti habentes ornamentum, in aliquibus suis vestibus deferant. Quod si qui contrarium fecerint, vestes hujusmodi per suos Ordinarios auferantur in usus pauperum, aut in alias pios usus convertendae: nihil-

lominus, qui in hoc inventi fuerint excessisse, nisi ad mandatum sui superioris se correxerint, usque ad satisfactionem, a suis beneficiis sint ipso facto suspensi.

Caput 5.

Interdicimus omnibus clericis portare annulos, nisi sint paelati, quibus hoc competit ex officio dignitatis, vel ex privilegio Sedis Apostolicae, speciali consuetudine in hoc contraria non obstante. Quod si quis de cetero clericus annulum portans inventus fuerit, auferatur ei annulus per suum Ordinarium, et non reddatur eidem; imo idem transgressor clericus etiam tantundem ad valorem illius annuli in rebus aliis cogatur pauperibus erogare. Clericus autem qui annulum dare dioecesano, vel praedictam quantitatem solvere contempserit, ab ingressu ecclesiae arceatur, donec annulum reddat, et poenam solvat praedictam.

Caput 6.

*De prohibitione tabernarum in domo clericorum.*

Statuimus: quod nulla persona ecclesiastica in domibus sive curiis, in quibus habitat, tabernam ubi vinum minuatim vendatur, vel ubi viles, leves, seu suspectae hospitentur aut conversentur personae, habere, tenere vel sustinere praesumat. Quod si quis in his excesserit, et a suo superiore monitus non emendaverit, infra terminum sibi datum, extunc usque ad emendationem condignam ab ingressu ecclesiae excludatur.

Caput 7.

*De qualitate religiosorum in episcopos assumptorum.*

Statuimus etiam, et inviolabiliter observari praecipimus: quod omnes et singuli de aliquibus religionibus sive ordinibus ad Pontificalem dignitatem assumpti, aut impostorum assumendi, illius religionis sive ordinis, de qua, vel de quo assumpti fuerint, vel de cetero assumentur, habitum tam in vestibus, quam in calceamentis, et quibuscumque aliis, toto tempore vitae suae deferre teneantur, et deferant in publico et secreto; nec habitum illum ullo tempore dimittant, aut vestes, calceamenta, vel aliqua alia deferant, in colore, forma, seu materia, contraria, vel dissimilia religioni sive ordini supradictis. Qui vero contra hujusmodi sanctum et regulare statutum venire praesumpserint, ingressum ecclesiae, et executionem Pontificalium sibi noverint interdictum. Per hanc tamen constitutionem non interdicimus ocreas, nec cappas rotundas, aut mantellos ante pectus et post collum connechos, in colore et aliis, supradictis religionibus seu ordinibus congruentes.

Caput 8.

*Ne praelati vel clerici seditionibus se immisceant.*

Perpetuo prohibemus edicto, ne praelati et alii clerici, cujuscumque sint ordinis, dignitatis, aut status, seditionibus, praeliis, spoliis, rapinis, incendiis et aliis saevis factis se aliquatenus immiscere praesumant, nec bellicis ac-

tibus se implicent, vel involvant; nisi forte pro ecclesiarum suarum et patriae defensione: non ad impugnandum vel propulsandum, sed ad defensionem tantum, si necessitas eos compellat; et tunc in propriis personis non pugnant.

### Caput 9.

#### *De clericis.*

Clerici officia vel commercia non exerceant, maxime inhonesta; mimis, histrionibus et joculatoribus non intendant, et tabernas prorsus evitent; nisi forte causa necessitatis in itinere constituti; ad aleas, et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint; comam et tonsuram patentibus auribus habeant congruentes, et in officiis ecclesiasticis et in aliis bonis studiis se exerceant diligenter. Excedentes autem in talibus, a suis moneantur praelatis, et si moniti parere contempserint, ab officio et beneficio suspendantur. Nec prius talis suspensio revocetur, quam ad arbitrium praelatorum per eos fuerit satisfactum, ac sub certa poena sufficienter sit cautum, quod in talibus, vel similibus ulterius non excedant.

### Caput 10.

#### *Ne aliquis clericus sententiam sanguinis dictet.*

Nullus clericus sententiam sanguinis dictet aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur intersit. Nec quisquam clericus literas dictet aut

scribat pro vindicta sanguinis destinandas; nec illam partem chirurgiae exerceat, quae ad ustionem, vel incisionem inducit. Nec quisquam purgationi aquae ferventis seu frigidae, seu ferri carentis ritum cuiuslibet benedictionis, aut consecrationis impendat, sciens, quod si ex hujusmodi mors, vel membra mutilatio fuerit subsecuta, irregularitatis laqueum non evadet.

Caput 11.

*De ludis prohibitis.*

Prohibemus sacerdotibus et aliis clericis in sacris ordinibus constitutis, ne secum habeant prolem, quam in sacro ordine genuerunt, propter scandalum; et ne hujusmodi parochiales sacerdotes in domibus suis habeant aleas et taxillos districtius inhibemus. Filii autem sive filiae praedictorum in familia sive in famulatu, seu pro familiis majoris ecclesiae, cui sunt immediate subjecti, redigantur ac etiam teneantur (sic).

Caput 12.

*Ne archidiaconi et alii praelati vicarias suas committant laicis.*

Prohibemus quoque, ne archidiaconi et alii rectores ecclesiarum, laicis, vel clericis uxoratis suas praesumant committere vicarias; et ad hoc dicti archidiaconi et ecclesiarum rectores per suspensionem officii et privationem beneficii teneantur; laici autem vel clerici

uxorati, ne hujusmodi vicarias suscipient, per excommunicationis sententiam a suis dioecesanis compescantur omnino.

### Caput 13.

*Ne sacerdotes gladios vel cultellos portent.*

Districte praecipimus, ne sacerdotes vel clerici in quovis ordine constituti gladium, vel cultellum, quod vulgariter dicitur *bord*, \* portent, nisi eis manifesti timoris causa ingruerit; nec tunc absque licentia praelatorum, portent.

### Caput 14.

*De cohabitatione clericorum et mulierum.*

Inhibemus districtius: ut nullus clericus beneficiatus, aut in sacris ordinibus constitutus mulieres aliquas in domibus suae habitationis retinere, vel alibi eis cohabitare praesumat. Qui vero ipsas nunc tenent, nisi infra tres menses ab ultimo die praesentis synodi in antea numerandos, eas a cohabitatione sua prorsus ejecerint, vel qui ejectas resumpserint, vel eis cohabitaverint, extunc se sciant excommunicationis sententia innodatos, a qua sententia per suos dioecesanos absolvi possunt, primo de suis cohabitationibus, mulieribus praedictis ejectis, ac ipsis clericis ab earum omnino cohabitatione separatis; et

---

\* Ducangius, qui hunc locum synodi Budensis in suo Vocabulary latinitatis mediæ aevi citat, habet *bord*, nostri vero Codices unus p'ord alter p'ozd.

sufficienti praestita cautione, quod contra constitutionem hujusmodi de cetero non venient, sed ipsam omni tempore inviolabiliter observabunt.

**Caput 15.**

*De reverentia in divinis officiis adhibenda.*

Suademos: ut quotiescumque clericos contigerit simul vel singulariter incedere ante altare, seu figuram beatae Virginis, aut etiam Crucifixi, et maxime, quum pro divinis officiis intrant chorum, inclinent capita sua depositis pilleis reverenter, atque instruant et inducant laicos diligenter. Volumus: quod omnes clerici, quotiescumque in divinis officiis *Ave Maria* audiverint, flexis genibus se reverenter inclinent, prohibentes, ne clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, discalceati seu nudis pedibus chorum intrare, seu in ipso stare praesumant, dum in ipso divina officia celebrantur. Item: quod presbyteri sine cappis rotundis, vel superpelliciis, ad psallendum horas canonicas, maxime vespertas, matutinas, vel missam, ecclesias ingredi, vel in eis stare non praesumant; nisi forte essent extranei viatores, aut etiam peregrini.

**Caput 16.**

*Ne immoderati descensus fiant.*

Quoniam, sicut audivimus, nonnulli ecclesiarum praefati et personae ecclesiasticae nostrae legationis, et maxime regni Ungariae, quum suas dioeceses vel parochias vi-

sitant, vel ex aliis causis ad ecclesias ipsas declinant, gravibus et importabilibus fere descensibus, non solum in praelatis et clericis, verum etiam in laicis reprobandis atque damnandis, ecclesias vel parochias ipsas plerumque aggravant et molestant; nos hujusmodi descensus graves, onerosos, difficiles, et importabiles fieri de cetero prohibentes, statuimus: quod, quum praelatos et personas praedictas ex justis et rationabilibus causis ad ecclesias ipsas declinare contigerit, sic se honeste habeant, et modeste, se suasque familias a superfluis et illicitis cohibentes, quod per immoderatos descensus hujusmodi ecclesiae importabiliter non graventur: in praedictis et in aliis taliter se habentes, quod ipsi, non quae sua sunt, sed Iesu Christi potius, quaerere videantur. Qui autem in praedictis excesserint, per superiores suos abstinere atque desistere, et de illatis gravaminibus satisfacere laesis et gravatis ecclesiis, per censuram ecclesiasticam et alia prompta remedia, sublato cuiuslibet frustratoriae appellationis obstaculo, compellantur.

Caput 17.

*Ne beneficia recipientur de manibus laicorum.*

Prohibemus, ne aliquis abbatiam, praeposituram, prioratum, plebanatum, capellaniam vel aliquod beneficium ecclesiasticum de manu recipiat laicorum, statuentes: quod archiepiscopi, episcopi et alii, ad quos de jure vel de consuetudine seu privilegio abbatum vel aliorum

confirmatio, institutio vel provisio spectat, nullum confirmare vel instituere praesumant, nisi eis prius de canonica ipsorum electione et eligentium ac electi meritis plene constet: veris patronis in illis ecclesiis, in quibus jus obtinet patronatus, justitia ac jure plene servatis ac salvatis, quae eis a sacris canonibus conceduntur atque servantur.

### Caput 18.

#### *De residentia plebanorum circa ecclesias.*

Quum ad beneficia ecclesiastica, curam habentia animarum annexam, tales quaeri debeant et admitti, qui in ipsis beneficiis \* velint et valeant residere, et personaliter per se ipsos, et non per alios deservire, ordinamus, atque praecipimus: ut omnes et singuli plebani, rectores et capellani ecclesiarum parochialium totius legationis nobis commissae, in ipsis deserviant per se ipsos, et non per vicarios; prohibentes, ne aliqui talium ecclesiarum rectores de cetero absque dioecesanorum consensu, quibus ecclesiae ipsae subsunt, aliquos instituant vicarios, vel institutos in eis teneant vel sustineant. Et qui contra fecerint, fructibus et proventibus illius ecclesiae per annum sint ipso jure privati; dictique fructus de mandato dioecesani episcopi in libris et ornamentis ecclesiasticis ad opus ejusdem ecclesiae irrevocabiliter expendantur. Nec antea participant de fructibus ecclesiarum ipsarum,

---

\*In cod. Petrop. ecclesiis.

quam sufficienter caverint, quod hujusmodi constitutionem inviolabiliter observabunt. Illos autem archidiaconos qui plebanos non residentes toleraverint, suspendimus ab ingressu ecclesiae infra mensem \*

Caput 19.

*De conspirationibus et conjurationibus.*

Conjurations, conspirationes et colligationes inter personas ecclesiasticas quocumque modo, fraude vel ingenio, omnino de cetero fieri prohibemus, factasque, nec non juramenta, promissiones, obligationes et alia super praedictis praestita, vel quae de cetero super eis fieri contigerit, vel praestari, aut earum occasione, penitus reprobamus, dissolvimus atque cassamus. Et eos qui hujusmodi promissiones, obligationes aut etiam juramenta, sub aliquibus, etiam pecuniariis, vel aliis poenis fecerunt, aut etiam praestiterunt, protinus absolventes, ipsos decernimus ad observationem conjurationum, conspirationum et obligationum ipsarum, vel solutionem aliquarum poenarum sive pecuniarum, aliquatenus non teneri. Statuentes: quod, qui in talibus de cetero inventi fuerint excessisse, praeter excommunicationem, quam ipso facto incurvant, a suis dioecesanis aut aliis suis superioribus, per privationem perpetuam aut etiam temporalem beneficio-

---

\* Loco posterioris regulae in edd. habentur haec: *Illos autem, qui contra tenorem constitutionis praesentis receperint visarias, suorum Ordinariorum raqitrio relinquimus puniendos.*

rum, quae obtinent, et alias poenas taliter castigentur, quod poena ipsorum transeat aliis in exemplum. Quam constitutionem, quantum ad poenas imponendas, ad promotores, seu mediatores praedictarum conjurationum, conspirationum, colligationum, juramentorum, promissionum et obligationum praedictarum extendi volumus et mandamus.

**Caput 20.**

*De synodo celebranda,*

Statuimus: quod quum ex deliberatione, et ordinatione archiepiscoporum, episcoporum et aliorum Ordinariorum, synodus fuerit celebranda per duos, tres, vel tot dies, qui sufficere videntur, antequam se ponant in viam eundi ad synodum, rectores parochialium ecclesiarum earumque perpetui vicarii, qui per praesidentes synodi facientes fuerint generaliter sive specialiter seu singulariter evocati, diligenter inquirant, si qui sint infirmi, seu debiles in parochiis suis, eosque visitent, etiam non requisiuti, et faciant circa eos, quidquid necesse fuerit ad animarum salutem.

**Caput 21.**

Statuimus etiam et praecipimus: ut omnes tam regulares, quam seculares in dignitatibus seu personatibus constituti illius metropolis, in qua provincialis, vel illius dioecesis, in qua episcopalis synodus fuerit celebranda, ad sy-

nodum veniant, nisi remanserint de suorum superiorum licentia speciali, de quorum ordinatione synodus fuerit celebranda. Et si taliter impediti fuerint, quod ad synodum venire non possint, legitimam excusationem per clericum, cum pleno mandato ad acceptandum et recipiendum ea, quae in synodo fuerint ordinata, transmittant. In eundo, stando et redeundo honeste ambulent, et honesta acquirant hospitia, et in eis circumspecte se habeant et modeste; ne vita, mores et gestus clericorum populo fiant in scandalum et contemptum. Qui vero ex causa ad synodum ire vel venire non possunt, eam archidiaconis, \* student nunciare. Quod si in veniendo et denunciando rationabilem causam negligentes, seu contemptores extirrint, ad dioecesanorum suorum arbitrium puniantur.

Caput 22.

*Qualiter debeant praelati ad synodum intrare.*

Praeterea statuimus: quod archiepiscopi, episcopi, abbes et quilibet alii, qui ex privilegio mitris utuntur, mitrati cum superpelliciis, stolis et cappis seu pluvialibus, praepositi vero priores et alii inferiores praelati cum superpelliciis et stolis, si diaconi saltem sint, et si velint cum pluvialibus seu cappis, rectores vero et simplices sacerdotes cum cottis seu superpelliciis et stolis tantum, inferioris vero status vel ordinis clerici, cum cottis synodum

\* Cod. Petrop. adjicit. *ad minus*; Peterffy vero post hoc verbum habet: *et archidiaconi suis dioecesanis.*

intrent, et in ea devote cum reverentia usque ad finem, nisi casus necessitatis emerserit, perseverent. Religiosis quoque nullam praelaturam, vel administrationem habentibus perpetuo permittimus, in habitu suo cum stolis, in synodo posse stare; etiamsi administrationem habeant.

Caput 23.

*De promotis ante concilium Lugdunense et post.*  
Statuimus etiam: quod omnes abbates, praepositi, priores, plebani et alii ecclesiarum praelati et rectores curam animarum habentes, promoti ad dignitates, seu curas praedictas ante concilium Lugdunense \* noviter celebratum, si presbyteri non sunt, in proximis futuris quatuor temporibus successive se faciant usque ad sacerdotium ordinari, aut omnino dimittant hujusmodi dignitates et curas; et per suos diaecesanos seu superiores, sublato cuiuslibet appellationis obstaculo, amoveantur a dignitatibus et curis praedictis, nisi in sacerdotes fuerint ordinati. Institutis autem, sive instituendis post concilium Lugdunense, per praefatos dioecesanos et alios superiores eorum denuncietur singulariter singulis et universaliter universis, quod nisi infra annum a die suae institutionis in dignitatibus et beneficiis, curam animarum habentibus, in presbyteros fuerint ordinati, ipso jure hujusmodi beneficiis sint privati, et beneficia illa per illos, ad quos eorum

\* Concilium Lugdunense IV c. 13, 14.

ordinatio spectat, extunc de personis idoneis libere ordinantur.

Caput 24.

*De chrismate, oleo et Eucharistia.*

Statuimus: ut per omnes ecclesias chrisma, oleum sanctum et Eucharistia sub fideli custodia, clavibus exhibitis conserventur, ita ut non possit ad illa manus impia extendi. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio ac beneficio suspendatur; et si per ejus incuriam aliquid inde nefarium contigerit, gravius puniatur.

Caput 25.

*Qualiter debeant servire ad altare.*

Nullus permittatur deservire altari vel epistolam legere, nisi in superpellicio et cappa clausa. Sacerdotes quoque diurnum officium in ecclesia, pariter et nocturnum distincte et aperte, quantum Deus dederit, celebrent, et devote.

Caput 26

*De intrusis ad ecclesiastica beneficia per secularem potestatem.*

Quia multorum assertione comperimus, et pro certo didicimus, quod in multis ecclesiis, ac monasteriis et ecclesiasticis beneficiis nostrae legationis, multi per se-

cularem potentiam, absque libero et legitimo ecclesiastiarum personarum assensu, ad quas ipsarum electio, ordinatio, provisio et institutio pertinere dignoscitur, damnabiliter sunt intrusi, ac quotidie intruduntur, contra sacrorum instituta canonum et ecclesiasticam libertatem, ex quo multa provenerunt, et proveniunt quotidie detrimenta, et animarum deploranda pericula subsequuntur, statuimus: quod nullus laicus, cuiuscumque auctoritatis, excellentiae, sive status aliquem de cetero in ecclesiis vel monasteriis aut ecclesiasticis beneficiis legationis praedictae ponere, vel intrudere quacumque occasione, vel auctoritate, quin potius transgressione, seu temeritate praesumat, salvo et reservato jure patronatus veri competentis patroni, prout canonica jura declarant. Decernimus autem institutiones, sive intrusiones talium nullas esse nullumque jus competere sic instrusis; et nisi intrusi hujusmodi, infra sex menses, ecclesias, monasteria sive beneficia, quae de facto modo sunt adepti praedicto, omnino et sine difficultate dimiserint, et quicumque alii de cetero aliqua beneficia ecclesiastica per manus receperint laicorum, et electionibus, postulationibus, provisioribus, seu institutionibus ad minas, comminationes, terrores, sive impressiones laicorum quorumcumque aliorum praesumpserint consentire, extunc se sciant excommunicationis sententiae subjacere; ipsosque per dioecesanum et alios, quibus ecclesiae, monasteria et beneficia sunt subjecta praedicta, arctius compellendos ea dimitte-

re, et satisfacere de fructibus et proventibus exinde perceptis; invocato ad talium proterviam conterendam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

### Caput 27.

*Ne personae ecclesiasticae agant et fidejubeant coram judece seculari.*

Inhibemus, ne personae ecclesiasticae agant, vel respondeant, fidejubeant, aut se adstringant, vel obligent coram judice seculari, nisi de his et super his, quae ad seculare non ecclesiasticum forum spectant, et de quibus absque sacrorum canonum injuria et contradictione in praedictis vel aliis, potest per ecclesiasticas personas seculare forum adiri. Personas autem ecclesiasticas, quae contra hujusmodi inhibitionem venire praesumpserint, et judices seculares, qui personas praedictas coram se agere, respondere, vel fidejubere, aut se adstringere vel alia facere, quae ad forum seculare non pertinent, contra privilegia ordini clericali, vel personis ecclesiasticis generaliter seu specialiter ab homine vel a jure concessâ, compulerint, nisi, postquam de hoc exceptum fuerit coram eis, ab hujusmodi processu omnino destiterint, et revocaverint omnem processum habitum contra personas praedictas, excommunicationis sententiae volumus subjacere; a qua per dioecesanos locorum, in quorum jurisdictione personae hujusmodi consistunt, post satisfac-

tionem idoneam et condignam, juxta formam ecclesiae,  
possint absolvī \*.

Caput 28 \*\*.

*Ne reliquiae ostendantur absque capsa.*

Iu concilio \*\*\* statutum est, ut amodo reliquiae extra  
capsam nullatenus ostendantur, nisi in praecipuis festi-  
vitatibus, vel ad hoc ex devotione concurrentibus pere-  
grinis, sicut quarundam ecclesiarum laudabilis consuetu-  
do exposcit; nec aliquomodo exponantur venales; inven-  
tas autem de novo nemo publice venerari praesumat, nisi  
prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae.  
Qui vero contra fecerit, si clericus fuerit, ab officio et  
beneficio se noverit suspensum; si laicus, per mensem  
ingressum ecclesiae sibi noverit interdictum.

---

\* Raynaldus et alii, qui eum secuti sunt, offerunt hic capitulum novum, his  
verbis conceptum:

«Nullus sacerdos vel alia persona ecclesiastica de personalibus injuriis, vel  
eleemosynis ecclesiae factis, coram seculari judice audeat litigare, nisi de  
licentia sui episcopi.»

Mihi tamen videtur, regulam hanc non ab ipsa synodo statutam fuisse, sed  
posterioris codicibus synodi illatam, quod ex adjectis huic loco in codd. Petrop. et Stron. sequentibus verbis satis clare patet: *Hic ponitur notabile circa  
eleemosynas ecclesiae factas.*

\*\* Ante hoc capitulum Raynaldus exhibet aliud: *de prole in sacro ordine  
suscepta, quod, nostrorum codicum auctoritatem secuti, superius, post cap.  
10, jam posuimus.*

\*\*\* Concilium Lateranense IV c. 62.

**Caput 29.**  
*Ne recipiatur aliquis ad praedicandum nisi fuerit authentica persona.*

Nullus passim recipiatur ad praedicandum, nisi fuerit authentica persona, vel alias per Sedem Apostolicam privilegiata, aut ad hoc per episcopum destinata. Quae stores quoque eleemosynarum tantum ea dicant populo, quae in literis domini Papae vel episcopi continentur. Sacerdotes tamen loci populum sibi commissum diligenter inducant ad eleemosynas erogandas intuitu pietatis, non animo extorquendi. Nullus etiam quaestuarius pro hospitalibus, vel aliis similibus locis recipiatur ad eleemosynas quaerendas, sine literis domini Papae, aut legatorum ejus, vel dioecesanorum ipsorum.

**Caput 30.**

*Ut ornamenta ecclesiae non obligentur.*

Statuimus: quod ornamenta ecclesiae non obligentur pignori, nisi pro necessitate ecclesiae et de licentia episcopi, cum concilio parochianorum.

**Caput 31**

*Ut nullus praelatus aut ecclesiarum rector fidejubeat.*

Praeterea statuimus: quod nullus praelatus, superior vel inferior, aut ecclesiarum rector pro alio fidejubere, nec possessionem ecclesiae suaे, vel alias res ecclesiasticas quascumque, mobiles aut immobiles vel se moventes,

praesertim sacras pro alieno facto obligare praesumat, nec etiam pro suo facto proprio, nisi evidenter in utilitatem suae cadent ecclesiae, et cum licentia dioecesanorum, et cum consensu capituli, sive conventus illarum ecclesiarum, sive monasteriorum, quae habent capitulum vel conventum. Transgressores autem constitutionis hujusmodi, per suos superiores compellantur reficere omnem damnum, quod monasteria et ecclesiae ex fidejussione, vel obligatione hujusmodi incurrisse.

Caput 32.

*Ut ecclesiarum rectores nihil dare vel concedere possint.*

Statuimus et statutum etiam declaramus: quod ecclesiarum rectores de bonis mobilibus, vel juribus, seu libris, aut ornamentis ad ecclesias ipsos spectantibus, nihil dare, concedere, vel donare possint in vita; nec de ipsis seu aliis mobilibus vel immobilibus aut se moventibus, acquisitis contemplatione ecclesiarum ipsarum, possint condere testamentum , nisi in casibus a jure permissis. Quod si contra factum fuerit, illud decernimus irritum et inane, praecipientes districte, quod successores eorum, qui in talibus excesserunt, praedicta bona cum auctoritate dioecesanorum et etiam judicum secularium, si fuerit opportunum, ad jus et proprietatem ipsarum ecclesiarum efficaciter studeant revocare; ipsique praelati se favorabiles et promptos ipsis rectoribus exhibeant in predictis. Et si qui de dictis rectoribus in revocatione hujusmodi fuerint

negligentes, ipsos ad id per dioecesanos praedictos compelli volumus, et mandamus. Archidiaconi quoque, singuli, videlicet, in singulis archidiaconatibus suis, tam de praedictis quam aliis, ad bonum et utilitatem ecclesiarum suorum archidiaconatum, curam et solicitudinem habent diligentem; et si quid super praedictis ac aliis difficultibus emerserit, illud dioecesanis suis studeant quam citius nunciare.

Caput 33.

*Ut nullus clericus extra provinciam peregrinetur.*

Nullus clericus nostrae legationis, in quovis ordine constitutus, peregrinari extra regnum vel provinciam suam praesumat, absque dioecesanorum episcoporum, vel aliorum suorum Ordinariorum licentia speciali. Quod si quis contrarium fecerit, a beneficio ecclesiae vel ecclesiarum, in qua vel in quibus beneficiatus extitit, per unius anni spatium sit suspensus.

Caput 34.

*Ut nemo incognitus ad ministrandum in sacris ordinibus admittatur.*

Decernimus: ut nemo incognitus ad ministrandum in sacris ordinibus admittatur, nisi sui ordinatoris, vel successoris ejus literas omni suspicione carentes ostendat, suscepti ordinis mentionem facientes expressam. Et qui contra constitutionem hujusmodi venire praesumpserint, ta-

les ad celebrationem divinorum admittendo vel retinendo, post trinam admonitionem, vel unam peremptoriam, a divinorum perceptione et ingressu ecclesiae arceantur. Et de hoc per dioecesanos episcopos inquisitio frequens fiat.

Caput 35.

*Ut parochiales visitent parochiam pro divino officio.*

Praecipimus: ut ecclesiarum parochiani singulis diebus Dominicis et festivis ad divina officia, specialiter ad missam, vadant ad suas parochiales ecclesias, ibique divina officia prout Deus dederit, audient diligenter. Nec ipsi parochiani reicta sua parochiali ecclesia, vel contempta, ad alias ecclesias, cujuscumque sint ordinis, religionis aut status, sive hujusmodi ecclesiae sint parochiales, sive non, ad audienda divina officia, et specialiter missam, praesumant accedere, maxime diebus Dominicis et festivis; aut in alienis parochiis vel ecclesiis ad hujusmodi officia admittantur, seu ipsis per alios parochiales presbyteros ministrentur ecclesiastica sacramenta, exceptis clericis religiosis transeuntibus, et peregrinis, qui ad hujusmodi officia in parochiis, sive ecclesiis possunt recipi alienis; et nisi forte causa devotionis majoris aliqui ex predictis, ante vel postquam in suis parochiis divina officia audierint, ad hujusmodi ecclesias vel parochias velint accedere, sine praejudicio suae parochialis ecclesiae; vel nisi aliqui circa hoc a Sede Apostolica sint muniti privilegio, aut indulgentia speciali. Parochiani vero contra constitutionem hu-

jusmodi venientes, ab acceptione sacramentorum suspen-  
dantur; illi vero, qui contra constitutionem hujusmodi,  
parochianos alienos receperint ad divina, vel eis admini-  
straverint ecclesiastica sacramenta, ab executione suorum  
ordinum neverint se suspensos; et qui parochianis alienis  
taliter suspensis ecclesiastica ministrare praesumpserint  
sacramenta, excommunicationis sententiam ipso facto  
se neverint incurrisse; a qua, congrua satisfactione  
exhibita illi parochiali rectori, cuius parochiano mi-  
nistrare praesumpsit ecclesiastica sacramenta, per dio-  
cesanos episcopos, secundum formam ecclesiae, pos-  
sint absolvi.

### Caput 36.

#### *Qualiter procuratores rationes faciant.*

Omnes autem abbates, praepositi, priores et alii prae-  
lationem habentes, saltem semel de suis omnibus redditis  
bus et expensis, et statu ecclesiarum suarum, ceteri ve-  
ro administratores, camerarii seu officiales, tam interio-  
res quam exteriores, bis in anno duobus terminis, uno  
videlicet, in festo sancti Thomae Apostoli, alio in festo  
sancti Georgii, reddant in capitulo plenariam rationem;  
consuetudine quarundam ecclesiarum, ubi pluries ratio  
reddi solet, in suo robore duratura. In quibus, si praelati  
et officiales praedicti negligentes, seu infideles et menda-  
ces inventi fuerint, secundum qualitatem culpe, per epi-  
scopum vel alium suum superiorem puniantur; alii vero

ipso facto administrationes amittant, gravius juxta arbitrium episcopi, vel sui superioris ulterius puniendi.

### Caput 37.

*Ne ecclesiarum rectores mutuo dent.*

Inhibemus abbatibus, praepositis, prioribus, plebanis, rectoribus ecclesiarum et clericis universis, ne ipsi mutuo dent vel accipient, abbates, praepositi, ultra duas vel tres marcas, caeteri unam marcam, sine notitia et consensu capituli sui, vel majoris partis, ac dioecesani episcopi assensu principali.

### Caput 38.

*Ne episcopi vel praelati sine consensu superiorum alienare praesumant.*

Prohibemus insuper, ne inferiores praelati absque episcoporum, nec episcopi absque archiepiscoporum, nec ipsi metropolitani absque Sedis Apostolicae licentia speciali aliqua de bonis immobilibus, vel juribus ad monasteria, sive ecclesias suas spectantibus, nisi in casibus a jure permissis, alienare praesumant. Quodsi contra fecerint, pro irrito habeatur; et alienantes, si inferiores praelati sint, a suorum ordinum, archiepiscopi et episcopi a Pontificalium executione sint ipso facto suspensi; quam suspensionem superiores Ordinarii alienantium, alienatis prius ad jus et proprietatem monasteriorum seu ecclesia-

rum revocatis, vel alias indemnitati ipsorum monasteriorum, et ecclesiarum proviso, valeant relaxare.

### Caput 39.

#### *De novis exactionibus.*

Statuimus: quod ecclesiae parochiales, vel aliae ecclesiae seu monasteria, per majores seu minores, vel personas, seu magistros, aut capitula cathedralium ecclesiarum, vel aliarum ecclesiarum praelatos novis, injustis et indebitis exactionibus non graventur; nec eis novi census imponantur, aut in novas exactiones inducantur, nec veteres augeantur pensiones. Qui vero inventi fuerint in talibus ecclesias molestare, aut aggravare praedictas, si episcopi, per metropolitanos eorum, si inferiores personae, per suos dioecesanos a talibus, per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia, desistere compellantur.

### Caput 40.

#### *De archidiaconis.*

Quum tam de jure, quam de generali consuetudine multarum ecclesiarum, archidiaconi jurisdictionem habeant causas matrimoniales et plerasque alias audiendi, examinandi, atque decidendi; statuimus atque praecipimus: quod nulli de cetero in regno Ungariae et provincia Poloniae in archidiaconatum assumantur, nisi in jure canonico latiter sint instructi atque periti, quod causas hujusmodi

secundum jura et rationabiles consuetudines locorum, in quibus hujusmodi jurisdictionem obtinent, audire, examinare atque decidere possint; vel alias in artibus sint, aut in aliis scientiis taliter informati, quod in talibus, annuente Domino, verisimiliter proficere possint. Et si tales in archidiaconatum assumi contigerit, teneantur ad minus triennio in canonico jure studere, dimissis in ipsis archidiaconatibus talibus vicariis, qui honeste possint supplere vices eorum. Hanc autem constitutionem, quantum ad studium triennii, ad jam institutos archidiaconos extendi volumus, et mandamus, nisi et instituti jam facti sint, et instituendi, post suas institutiones fiant, absque vitio et culpa eorum, adeo pauperes, debiles vel infirmi, aut alias inhabiles ad studendum, quod studium incipere nequeant, vel perficere, aut terminare inceptum: quibus impedimentis cessantibus teneantur incipere et inceptum perficere studium, ut superius est expressum. Ad predicta quoque implenda archidiaconi supradicti a suis dioecesanis, per amotionem et privationem perpetuam a suis archidiaconatibus compellantur. Indulgemus autem archidiaconis supradictis, quod infra triennium, quo studio praefato vacabunt, archidiaconatum et aliorum beneficiorum suorum fructus et proventus cum ea integritate percipient, cum qua ipsos perciperent, si in dictis archidiaconatibus vel beneficiis personaliter morarentur; quotidianis distributinibus, quae in pane et vino singulis vel certis diebus exhibentur, duntaxat exceptis; nisi in fraudem praesentis

constitutionis reditus, qui consueverunt in pecunia percipi, ordinarentur pro distributionibus panis et vini.

### Caput 41.

#### *De causis matrimonialibus.*

Prohibemus, ne causae matrimoniales, nisi discretis et gravibus ac honestis committantur personis, et habentibus juris canonici peritiam, vel causarum experientiam in talibus opportunam, statuentes, ut judex in causis matrimonialibus testes per se ipsum vel alium discretum et honestum virum peritiam juris, vel bonam experientiam causarum habentem, examinet.

### Caput 42.

#### *Ne praelati inhibeant subditis, ut statum suum deponant superioribus.*

Quia nonnulli praelati, seculares et regulares subditis suis inhibent, ne ecclesiarum, sive monasteriorum suorum statum personarum et rerum eorundem superioribus suis, seu aliis, per quos ad audientiam eorum perveniat, insinuant, vel exponant, eosdem subditos sub juramenti interpositione et aliis vinculis adstringentes, vel in ipsos, si secus fecerint, excommunicationis sententiam proferentes; nonnulli etiam ex eis subditos ipsos plerumque alias sibi obligant, ne de cetero dicant sive deponant, denuncient aut faciant aliquid contra eos, per quod malum, vel damnum aliquod incurrire possent; ex quibus frequenter

venit, quod quum superiores ecclesias et monasteria ipsa visitant, ipsorum monasteriorum seu praelatorum, aut etiam subditorum statum scire non possunt; propter quae multa in eis tam in capite, quam in membris, quae correctione et reformatione indigent, remanent incorrecta: nos contra hujusmodi detestabiles et periculosas astutias providere volentes, omnia super his vincula interposita, obligationes omnes super hoc initas, sententias et quaecunque alia hujusmodi occasione subsecuta, inita seu facta, vel quae imposterum ferri vel fieri contigerit, penitus revocamus, relaxamus, atque cassamus, ac cassa et irrita nunciamus, decernentes subditos et alios supradictos a praedictis obligationibus, sententiis, atque poenis totaliter absolutos, et ad eorum observationem aliquatenus non teneri.

### Caput 43.

#### *Ne supellectilia in ecclesiis reponantur.*

In Concilio \* prohibetur, et nos decernimus inviolabili-  
ter observari, ne supellectilia sacerdotis propria seu aliena  
in ecclesiis reponantur, aut etiam teneantur; nisi propter  
hostiles incursus, aut incendia repentina, ad eas oporteat  
habere refugium; sic tamen, ut necessitate cessante, ex-  
tra ecclesiam portentur.

\* Concilium Lateranense IV c. 19.

**Caput 44.**

*De libris ecclesiasticis.*

Librum, qui dicitur manuale, habeant singuli presbyteri parochiales, ubi continetur ordo baptismi, catechismi, extremae unctionis et hujusmodi, nec non libros alios, in quibus possint tam diurnum, quam nocturnum officium celebrare.

**Caput 45.**

*De firmatione coemeteriorum.*

Praecipimus sacerdotibus, ut divino officio celebrato, et populo regresso ad propria, ecclesias suas serare debent diligenter.

**Caput 46.**

*Ne in ecclesiis et coemeteriis ducantur choreae.*

Prohibemus etiam ne sacerdotes sub poena excommunicationis choreas in coemeteriis vel in ecclesiis duci permittant; quia, ut ait Augustinus, melius est festivis diebus fodere, vel arare, quam choreas ducere.

**Caput 47.**

*Ne civiles causas in ecclesiis vel coemeteriis agitare prae-sumant.*

Sub anathematis interminatione prohibemus, ne quis civiles causas in ecclesiis vel coemeteriis agitare prae-sumat; nullus etiam de novo aedificare in coemeterio per-

mittatur; nec sumus vel immunditiae aliae in coemeteriis adunentur. Talia facientes, quousque satisfecerint ad voluntatem rectoris, ab ingressu ecclesiae illius arceantur.

**Caput 48.**

*De vigiliis laicorum.*

Praecipimus, quod ecclesiarum rectores in suis ecclesiis vigilias fieri a laicis non permittant, quum ex hoc scandalum proveniant et peccata; nisi forsan in illis ecclesiis, in quibus ex devote fidelium vigiliae tales consueverunt fieri ab antiquo.

**Caput 49.**

*De frequentatione ecclesiarum.*

Ad dilatandum in divinis officiis ecclesiae decus, praesenti constitutione duximus statuendum: quod praepositi, canonici, plebani et alii ecclesiarum rectores et clerici universi in praeposituris, canoniis, et plebanatibus, rectoriis et aliis ecclesiis, in quibus beneficiati existunt, vel a quibus ecclesiastica recipiunt stipendia, residentiam facientes, horis canonicis ad minus matutinis, missae, vel vesperis intersint: quum eis ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata, ut de ipsis honeste debeant vivere, ac Deo, et dictis ecclesiis in ipsis divinis officiis cum reverentia deservire. Quod si quis eorum in praedictis appareat negligens, vel remissus, et per dioecesanum, vel capitulum, vel alinm superiorem admonitus non emendaverit,

sed hujusmodi negligentiam, ne dicamus contemptum, non videatur emendationi, sed consuetudini potius depicare; quotidianis distributionibus illius diei, quo absque rationabili causa absfuit a divinis in aliqua de tribus horis praedictis, ipso sit facto privatus per dioecesanum vel alium superiorem suum. Si hujusmodi negligentiam vel contemptum non studuerit emendare, officia non continuando praedicta, gravius puniendus. Et ut hujusmodi constitutio melius observetur, deputentur aliqui a singulis capitulis cathedralium et collegiarum ecclesiarum, qui absentias et negligentias talium notent et scribant. Parochialium vero sacerdotum et aliorum clericorum negligentiae et offensae in talibus et aliis, quae a cura et sollicitudine pendent eorum, per archidiaconos, praepositos aut alios, et demum per episcopos, quibus subsunt, corrigantur, et salubriter emendentur.

### Caput 50.

#### *De quadam consuetudine Ungariae.*

Praesenti quoque constitutione declaramus atque decernimus: quod consuetudo, secundum quam archidiaconi Ungariae, pro occisis gladio, sive fuste, sive aliorum armorum genere, seu veneno, aut quocumque alio damnabili et reprobato modo, consueverunt recipere unam marcam argenti, antequam sic occisi tradantur ecclesiasticae sepulturae, ad eos, qui fulmine percussi, fluminibus suffocati, exusti incendio, arboribus oppressi, aut de equo caden-

tes, vel aliis similibus, sive fortuitis casibus diem clause-runt extreum seu interiisse noscuntur, nullatenus ex-tendatur; nec ab eorum heredibus, propinquis, sive amicis, marca hujusmodi exigatur; sed sic defuncti, dum-modo poenitentes decesserint, vel in morte poenitentiae signa apparuerint manifesta, sicut alii christiani ecclesias-ticae sepulturae tradantur. Archidiaconi vero per suos Ordinarios ab hujusmodi exactione indebita arceantur.

**Caput 51.**

*De concubinatu laicorum.*

Prohibeant etiam sacerdotes, ne laici publice teneant concubinas; et qui post admonitionem tenuerit, tam ipse, quam ipsa ab ingressu ecclesiae arceantur; et si per hoc se non emendaverint, per suos dioecesanos fortius com-pellantur.

**Caput 52.**

*De meretricibus publicis.*

Quum ex vicinitate turpium mulierum, et maxime me-retticum publicarum, quae corpora sua pro vili pretio vel mercede venalia indifferenter exponunt, multis ple-rumque peccandi occasio ministretur, ut de multis aliis spiritualibus et temporalibus, quae saepissime ex earum vicinitate damnabili consueverunt contingere, periculis taceatur, religio christiana et multorum bonorum hones-tas enormiter infamatur, statuimus: quod nulla persona

ecclesiastica aut etiam secularis, universitas, collegium vel conventus hujusmodi infames et abominandas personas in aliqua civitate, castro, vel villa, in domibus, seu possessiōnibus suis habitare permittat; nec eis vel aliquibus aliis ipsarum nomine, vel pro ipsis, aut infamatis de lenocinio, favore, commercio, aut conversatione, sive protectione talium mulierum domos ipsas, vel possessionem suam eis concedere, locare, vendere, vel donare quocumque modo vel fraude praesumat. Quod si quisquam contra hujusmodi constitutionem venire praesumperit, tamdiu per Ordinarios locorum et presbyteros parochiarum, in quibus violatores constitutionis hujus degerent, ab ecclesiae arceantur ingressu, et a perceptione sacramentorum habeantur suspensi, donec ipsis turpibus personis de dictis domibus, et possessionibus prorsus ejectis, et praestita sufficienti cautione, quod ulterius in talibus non excedent; et ad mandatum Ordinariorum, sive superiorum, vel presbyterorum parochialium suorum, tantum de bonis suis in pios usus expendant, quantum pro hujusmodi locatione, venditione, seu concessione perceperint, aut percepturi fuerint occasione praedicta. Personae autem ecclesiasticae, si in praedictis excesserint, praeter praedictas poenas, per Ordinarios, sive superiores suos gravius puniantur. Hanc autem constitutionem ad publicos adulteros et incestuosos et ad publicas adulteras et incestuosas, quos et quas excommunicationis sententiae decernimus subjacere, extendi volvamus et mandamus.

Caput 53.

*Ne laici extendant manus ad bona clericorum.*

Statuimus: quod ad bona decedentium episcoporum et aliorum inferiorum praelatorum secularium, seu religiosorum, monasteriorum, vel aliarum ecclesiarum vacantium nullus laicus, quantaecumque et cujuscumque sit altitudinis, excellentiae, conditionis vel status, manus suas extendi faciat vel permittat, bona hujusmodi auferendo, aut etiam occupando occasione juris patronatus, vel alio quocumque praetextu. Quod si quis laicorum contra constitutionem hujusmodi venire praesumpserit, ingressum ecclesiae, et perceptionem seu participationem sacramentorum, usque ad satisfactionem omnium occupatorum, subtractorum, ac etiam ablatorum, sibi noverit interdictos: salvis aliis poenis praedictis, et in aliis constitutionibus nostris expressis.

Caput 54.

*De jure patronatus praelatorum.*

Statuimus: quod nulla persona ecclesiastica, aut etiam secularis, cujuscumque sit excellentiae, ordinis, dignitatis, vel status, vel sub praetextu juris patronatus, quod se habere dicat, contendat, vel asserat, aut in veritate habeat in aliquibus monasteriis vel ecclesiis nostrae legationis, sive alio quocumque praetextu vel modo monasteria, vel ecclesias praedictas, in quibus jura hujusmodi se habere contendat, aut aliquid de bonis, vel juribus, ad

ipsas ecclesias vel monasteria spectantibus per se vel  
alios occupare, vendere vel donare, permutare, locare  
aut alio modo quocumque alienare, seu bona ipsa, aut  
fructus aliquos in perpetuum vel ad tempus, aut alias in  
feudum sive in pignus dare, concedere, vel recipere, aut  
aliquid aliud circa dispositionem et ordinationem eccl-  
esiarum et monasteriorum praedictorum, seu bonorum  
mobilium, vel immobilium, aut se moventium, vel ju-  
rium eorundem propria auctoritate attentare praesumat;  
veris patronis ecclesiarum et monasteriorum legationis  
praefatae, in quibus ecclesiis et monasteriis jus obtinet  
patronatus, jure competenti, occasione hujusmodi pa-  
tronatus servato in tantum, in quantum in hac parte  
patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt. Trans-  
gressores autem constitutionis hujus, postquam a dioece-  
sano vel aliis superioribus illarum ecclesiarum, in quibus  
praedicta vel praedictorum aliqua attentarent, charitati-  
ve admoniti fuerint, nisi infra terminum per ipsos dioece-  
sanos, vel alios dictarum ecclesiarum superiores statuen-  
dum eisdem, ab ipsarum ecclesiarum vel monasteriorum  
seu bonorum, ac jurium eorundem super praedictis mole-  
lestatione et perturbatione destiterint, et ad ipsorum  
dioecesanorum, vel aliorum superiorum arbitrium satis-  
fecerint de damnis et injuriis irrogatis occasione praedicta  
monasteriis et ecclesiis praefatis; extunc se sciant  
excommunicationis sententiae subjacere, a qua, juxta ta-  
men formam ecclesiae, per dioecesanum, satisfactione

praemissa, et sufficienti cautione, quod ulterius in talibus vel in similibus non excedent, possunt absolvī praefati.

### Caput 55.

#### *De jure patronatus.*

Praesenti quoque declaramus statuto atque praecipimus: quod quaecumque persona secularis, cujuscumque sit excellentiae, dignitatis, aut status, quantumcumque liberaliter et absolute concedat, donet, tradat, seu tradidisse intenderit, vel intendere voluerit vel velit monasteria seu ecclesias, in quibus jus tantum obtinet patronatus, monasteriis, vel aliis ecclesiis secularibus, vel regularibus, seu quibuscumque aliis piis locis, vel personis ecclesiasticis aut secularibus, illud faciat et facere debeat, de illorum dioecesanorum seu praelatorum licentia seu assensu, in quorum dioecesi vel jurisdictione ecclesiae vel monasteria consistunt ipsa. Et tam predictae, quam aliae personae ecclesiasticae, regulares aut seculares, cujuscumque ordinis, dignitatis, religionis seu status, quantumcumque liberaliter et absolute concesserint, donaverint, vel tradiderint, aut concedant, donent, vel tradant, seu concessisse, donasse, tradidisse intenderint, vel intendant monasteria vel ecclesias, in quibus jus tantum obtinet patronatus, locis vel personis predictis, nihil aliud intelligantur, seu praesumantur conferre aut etiam contulisse, nec personae, aut loca predicta aliud ex collatione hujus-

modi recipere, vel acquirere, quam jus in eisdem ecclesiis seu monasteriis conferentibus competens patronatus. Statuentes et expressius prohibentes: ne aliquae personae ecclesiasticae, aut etiam seculares, quibus de monasteriis vel ecclesiis hujusmodi sunt donationes, concessiones, vel collationes factae, vel imposterum fient, aliquid, nisi quantum patronis canonica jura concedunt, exigere, vel extorquere, aut capere motu proprio, vel accipere de bonis mobilibus, vel immobilibus, aut se moventibus, vel de juribus monasteriorum, aut ecclesiarum ipsarum, nec in eis statuere alias praelaturas, seu rectorias, nec removere, sive supprimere, vel etiam revocare statutas, nec de ipsis monasteriis vel ecclesiis, aut temporalibus seu spiritualibus, vel juribus eorundem, nisi quantum ad defensionem pertinet, ad quam patroni tenentur disponere, aut etiam se intromittere, vel aliquos in ipsis monasteriis aut ecclesiis instituere, vel destituere, hujusmodi juris patronatus praetextu, quocumque invento colore praesumant. Decernimus autem irritum et inane quidquid a praefatis personis, circa monasteria et ecclesias et alia omnia et singula supradicta, contra tenorem praesentis constitutionis temere contingere attentari. Per hanc autem declarationem et constitutionem nullum veris patronis super his, quae sibi competunt, ratione juris patronatus, praejudicium generetur. Si qui vero, quacumque praesumptione contra constitutionem hujusmodi venientes, monasteria vel ecclesias in praedictis vel praec-

dictorum aliquo molestare, seu perturbare praesumpserint, aut de ipsis monasteriis, ecclesiis, seu bonis et juribus eorum se intromiserint quoquomodo; ingressu ecclesiae et perceptione sacramentorum ecclesiasticorum se novarent interdictos, donec satisfactione praemissa, a perturbatione et molestatione et aliis supradictis destiterint, et per dioecesanum illarum ecclesiarum seu monasteriorum, quae hujusmodi occasione laeserant, ad ecclesiae ingressum et sacramentorum perceptionem fuerint restituti. Qui autem sic suspensis et interdictis, antequam, ut superius est expressum, fuerint restituti, ecclesiastica ministraverint sacramenta, per sex menses a collatione sacramentorum neverint se suspensos.

**Caput 56.**

*De jure patronatus.*

Quum multorum assertione didicerimus, pestem quandam in regno Ungariae, et aliis terris nostrae legationis, contra Deum et ecclesiasticam libertatem invaluisse jam dudum, videlicet, quod laici ecclesias, monasteria, earumque possessiones et jura, juris patronatus seu alio quocumque praetextu, non absque damnabili et manifesta sacrilegii nota, quasi indifferenter occuparunt hactenus et quotidie occupant, et damnabiliter detinent occupata; quarum aliquae sunt deputatae habitationi, et usibus laicorum, aliae vero usibus jumentorum et aliorum anima-

lium; altaribus et aliis, ad cultum Divinum ibi statutis  
pia devotione fidelium et auctoritate Pontificum, destruc-  
tis et totaliter deformatis; nos contra hujusmodi pestem,  
quam pati nullo modo possumus, nec debemus, omnino  
intendentes de salubri remedio providere, omnes et sin-  
gulos ecclesiarum et monasteriorum, bonorum, ac jurium  
hujusmodi detentores, ex parte Dei omnipotentis, et sub  
obtestatione Divini judicij admonemus: quatenus ecclesias,  
monasteria, earumque possessiones et jura, quae taliter  
occuparunt seu detinent occupata in regno et terris pree-  
dictis, dioecesanis episcopis, vel aliis Ordinariis, aut aliis  
ecclesiasticis personis, ad quas praedicta spectare nos-  
cuntur, infra sex menses a die publicationis hujus pree-  
sentis constitutionis computandos, cum fructibus exinde  
perceptis reddere et restituere non postponant. Alioquin  
praefatos detentores, quos excommunicationis sententiae  
decernimus subjacere, ad requisitionem illorum Ordina-  
torum, in quorum dioecesi, vel jurisdictione, aut ecclae-  
siis, vel earum bonis et juribus praedicta sunt commissa  
vel de cetero committentur, ab omnibus praelatis regni  
Ungariae, quantum ad Ungaros, et ab illis de Polonia,  
quantum ad Polonos, usque ad restitutionem et satis-  
factionem condignam, excommunicatos publice praecipi-  
mus nunciari, per lsatis companis et candelis extintis,  
diebus Dominicis et festivis. Contra quos, si opus fuerit,  
invocetur auxilium brachii secularis.

Caput 57.

*Ne ecclesiae aliquo modo violentur.*

Quum ecclesiae et monasteria, secundum traditiones Evangelicas, Apostolicas, atque Canonicas sint et esse debeant domus Dei, non speluncae latronum, vel munimenta praedonum; dolentes reperimus, quod quidam, et non pauci, in regno Ungariae et terris nostrae legationi subjectis, multa monasteria, multasque ecclesiasticas possessiones et jura ad ipsas spectantia occupasse, pluraque ex iis incastellasse dicuntur, et quum in ipsis et ecclesiis et monasteriis, ad laudem Dei continua debeantur ecclesiastica officia celebrari, et pro animabus tam defunctorum, quam vivorum votae preces et orationes deferri, in ipsis tyranni, raptores habitant et praedones, rapinae, spoliaque reconduntur et praedae, et quod valde horrendum est, loca ipsa Deo dedicata et sanctificata frequenter humano sanguine et semine polluuntur. Quum autem ea, quae sunt juris divini, nullo modo debeant ad humanos usus converti, maxime tam detestabiles et profanos, nos nulla ratione volentes tantam iniquitatem et perversitatem conniventibus oculis pertransire, omnes et singulos cujuscumque excellentiae, nobilitatis, status, aut conditionis, qui ecclesias, monasteria, aut bona, vel jura ipsorum occupare, incastellare, vel violenter invadere prae- sumpserunt, aut invasa seu occupata detinent, aut de cetero invadere, seu etiam incastellare et occupare propria

temeritate praesumpserint, nisi infra terminum seu terminos omnibus communiter et singulis singulariter ab illis praelatis, in quorum dioecesi et jurisdictione ecclesiae, monasteria, bona et jura consistunt praefata, peremptorie statuendos monasteria, ecclesias, possessiones et jura illis personis ecclesiasticis, ad quas pertinent supradicta, libere et absque difficultate reddiderint et restituerint, et de fructibus, proventibus atque dannis, ad mandatum praelatorum ipsorum satisfecerint competenter, caverintque sub certis poenis, quod ulterius in talibus non excedent, anathematis vinculo decernimus et volumus esse ligatos; a quo absolvvi non possint, nisi praedicta restituerint, et ad mandatum ipsorum praelatorum plene satisfecerint, ut superius est expressum.

Caput 58.

*De judicibus ordinariis.*

Statuimus: quod nullus judex ordinarius, vel etiam delegatus faciat vel etiam se facturum promittat justitiam alicui per gratiam, seu receptam pecuniam vel promissam, aut per alias sordes, praetextu alicujus odii temporalis, emolumenti, favoris, seu lucri. Et qui contra fecerit, per annum officium judicandi sibi noverit interdictum, ad aestimationem litis, parti, quam laeserit, nihilominus condemnandus, prout in constitutione felicis recordatio-

nis domini Innocentii Papae IV, *de re judicata*, edita in Concilio Lugdunensi, cavetur \*.

Caput 59.

Statuimus: quod judices ordinarii, aut etiam delegati omnes illos, quos per denunciationem, vel alio legitimo modo excommunicatos sciverint esse ab homine vel a jure, ab agendo, patrocinando, vel testificando in suo foro, vel curiis, aut judiciis, ex officio suo repellant. Iudices autem, qui exceptionem excommunicationis contra agentes, advocantes, vel testificantes objectam non admiserint, sed ea non obstante, tales admiserint ad praedicta, per mensum unum judicandi officium sibi noverint interdictum, et processus cum talibus excommunicatis habitus sit irritus ipso facto, ne processus cum talibus excommunicatis, sive ipsam exceptionem probaverit sive non, ex quo per eum opposita fuerit hujusmodi exceptio et non fuit admisa, aliquod praejudicium generet.

Caput 60.

*De exceptione rei judicatae.*

Statuimus: quod judices seculares exceptionem rei judicatae per ecclesiasticum judicem, de qua quidem re cognitio ad ipsum ecclesiasticum judicem de consuetudine, vel de jure pertinet, coram ipsis propositam admittere non omittant. Item e contra ecclesiastici judices, de re

\* Concilium Lugdunense I. apud Labbeum ed. Venet. T. XIV p. 76.

judicata per secularem judicem, de his, quae ad eūs jurisdictionem spectare noscuntur, coram eis exceptionem hujusmodi, prout de jure tenentur, admittant. Quod si dicti judices exceptiones hujusmodi forte admittere recusaverint, per Ordinarios, de quorum jurisdictione fuerint bona de quibus, vel personae contra quas fuerit judicatum, ad recipiendam et ad admittendam exceptionem hujusmodi per opportuna remedia compellantur; quum quos Dei timor de malo non revocat, poena coercere debeat temporalis.

Caput 61.

Statuimus: quod universi et singuli nostrae legationis, cujuscumque sint excellentiae, dignitatis aut status temporalem jurisdictionem habentes, ad requisitionem praetatorum, seu judicum ecclesiasticorum, contra rebelles et inobedientes eis, vel eorum sententias contemnentes, seu non parentes alias rei judicatae ab eis, de his et super his, quae principaliter, vel incidenter, de consuetudine, vel de jure ad forum, jurisdictionem, seu cognitionem ipsorum spectare noscuntur, reverenter brachium suae jurisdictionis impendant; rebelles et inobedientes atque non parentes hujusmodi, ac excommunicatos quosque ab ipsis praelatis, seu ecclesiasticis judicibus, seu alias ab homine vel a jure, redire ad ecclesiae unitatem, ac satisfacere pro causis, pro quibus excommunicationes hujusmodi incurserunt, per occupationem bonorum, quae

sub sua jurisdictione sunt, et alia opportuna remedia, compellendo. Ad quod praefati judices per censuram ecclesiasticam compellantur. Ipsi vero praelati et ecclesiastici judices, versa vice, laicorum judicium, sua jurisdictione in his et super his, quae canonice non obvient institutis, coadjuvant; et contra inobedientes et rebelles illorum, ac ipsorum secularium judicum justis sententiis non parentes, gladium suae potestatis et auctoritatis, ecclesiasticam scilicet censuram impendant, quum ab ipsis secularibus judicibus super hoc fuerint requisiti.

### Caput 62.

#### *De causis ad forum ecclesiae pertinentibus.*

Statuimus: quod omnes causae ad forum ecclesiasticum pertinentes, coram Ordinariis, vel ecclesiasticis judicibus, juxta sacras et legitimas sanctiones, agitari, tractari, vel ventilari debeant, et per eos libere et absque impedimento ullo vel obstaculo terminari. Et si quos autem, super hujusmodi causis, Apostolicam Sedem vel alios superiores, ad quos appellare jura permittunt, appellari contigerit; tam appellant, quam appellati ad praefatam Sedem, seu ad superiores praedictos accedere super appellationum prosecutionibus libere et absque inhibitione aliqua permittantur. Si vero Rex aut Regina, vel quicumque alii de regno praedicto, postquam coram ipsis de hoc protestatum fuerit vel exceptum, contra constitutionem hujusmodi venerint, de causis hujusmodi

cognoscendo, vel appellantes ad Sedem Apostolicam, seu superiores praefatorum a prosecutione appellationum ipsarum quomodolibet prohibendo, seu alias contra constitutionem hujusmodi exercendo, ab hujusmodi prohibitione, impedimento, seu cognitione omnino non destiterint; Regi, seu Reginae praefatis in predictis excedentibus, tamdiu ecclesiae sit interdictus ingressus, quounque omnem processum per eos habitum in causis predictis, quem cassum et irritum nunciamus, omnesque prohibiciones et gravamina revocaverint cum effectu. Alii vero duces, barones, et alii inferiores judices, contra constitutionem excedentes praesentem, nisi infra triduum, postquam coram eis, ut supra denunciatum, protestatum fuerit vel exceptum, prohibitiones, impedimenta, gravamina, ac processus super hujusmodi revocaverint cum effectu, ac procedendo in causis hujusmodi destiterint, ipso facto excommunicationis sententiae se noverint subiacere; a qua, congrua satisfactione praemissa, ab episcopis, in quorum dioecesi personae vel res, super quibus vel contra quas processerint, juxta formam ecclesiae possint absolviri.

### Caput 63.

#### *De defensione ecclesiae per principes.*

Quum Regum, principum baronum, et aliorum catholiconrum fidelium proprium et peculiare ab antiquo fuisse noscatur ecclesias, monasteria, locaque sacra Deo aedi-

ficare; destructas vero, sive concussas, aut in se sive in ministris, vel in facultatibus, juribus, privilegiis, vel immunitatibus suis diminutas, sive oppressas relevare, reficere, defendere, ac etiam restaurare, prout per facti evidentiam, videlicet, per aedificationem, refectionem, et reparationem ecclesiarum et monasteriorum multis et latis possessionibus, aedificiis, juribus, privilegiis praerogativis et immunitatibus dotatorum, antiquitas ipsa omni digna veneratione testatur: multum profecto ab antiquorum et majorum suorum videntur vestigiis deviare, qui ecclesias ipsas vel earum bona, seu jura destruunt, scindunt, occupant vel invadunt, seu earum privilegia et immunitates imminuunt, vel infringunt, aut qui talibus tacite vel expresse consentiunt, seu qui talia, vel his similia contra Deum ejusque ecclesiam atque ministros impie committentes, per assumptae potestatis, vel jurisdictionis officium non compescunt, et ab iis desistere per media opportuna non cogunt. Declaramus igitur, atque decernimus ecclesias et ecclesiasticas personas ab omnibus angariis et perangariis, exactionibus et collectis, et aliis superindictionibus, oneribus et muneribus sordidis laicorum, nec non a praestationibus tributorum, pedagorum, seu vectigalium pro ecclesiasticis personis, evictionibus et rebus ipsorum, quae non causa mercimonii, sive negotiationis, sed pro suis et ecclesiarum suarum necessitatibus per terram, sive per aquam ducunt seu transiunt, omnino immunes et exemptas esse juxta canonicas

et legitimas sanctiones; nec per aliquos, cujuscumque altitudinis, jurisdictionis, seu etiam potestatis, ad talium praestationem posse vel debere compelli.

### Caput 64.

Et quia in regno Ungariae et aliis terris nostrae legationis ecclesiae et ecclesiasticae personae a multis et in multis et variis, super praedictis et aliis similibus, indebito et contra justitiam aggravantur in periculum animarum illorum, qui talia agunt, et ecclesiarum, ac personarum ecclesiasticarum non modicum detrimentum, et derogationem ecclesiasticae libertatis; nos autem animarum saluti et ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum immunitati super hoc providere volentes, districtius prohibemus, ne de cetero ecclesiis et ecclesiasticis personis talia imponantur, aut exigantur, seu extorqueantur ab iis vel ipsae ecclesiae aut personae super talibus praestationibus quomodolibet molestentur. Quod si contra prohibitionem hujusmodi quisquam ab ecclesiis vel personis praedictis aliquid occasione praedicta extorquere prae sumperit vel auferre, seu super praedictis vel eorum aliquo ecclesias, vel personas aggravare praedictas; nisi infra triduum omnia restituerit, quae ecclesiis ac hujusmodi personis occasione praedicta extorserit, ingressum ecclesiae et perceptionem sacramentorum sibi noverit interdictum. Quod interdictum, satisfactione praemissa, per dioecesanum valeat revocari.

Caput 65.

*De aequalitate vestium monachorum.*

Et quia dishonestum extitit, quod canonici regulares, vel monachi diversis vestibus vestiantur, quum ex hoc proveniat invidia, murmur et scandalum inter ipsos, statuimus: quod omnes, in eodem monasterio vel regula canonica et sub eadem professione morantes, indifferenter uno et eodem vestiario induantur; prohibentes expresse, ne quis eorum vestes aliquas alicujus coloris nisi tantummodo albi, vel nigri, seu grisei habere praesumat, in quibus brunetam nigram, gazzatum et alium quemcumque pannum notabiliter delicatum interdicimus universis. Vests non habeant brevitatem vel longitudine deformatas. Qui vero in praedictis excesserint, per suos dioecesanos vel superiores alios castigentur, salva distinctione ac discretione diversorum ordinum, servata inter monachos, sive canonicos et conversos.

Caput 66.

*Ut monachi sine cappis claustrum non exeam.*

Quia, sicut audivimus, quidam monachi et canonici regulares, sicut laici et clerici seculares consueverunt incedere in animarum suarum périculum et scandalum plurimorum, praecipimus: ut canonici regulares sine superpelliciis vel tunicis lineis, seu cappis clausis, monachi vero sine cappis, aut cucullis, seu scapularibus extra domos suas de cetero non incedant, nec etiam intra domum

Si vero contra facere praesumpserint, administrationem habens, eam ipso facto amittat, et monachus, sive canonicus regularis, per abbatem, priorem, vel praepositum puniatur; et si negligens fuerit, per episcopum suppleatur.

Caput 67.

*Ut monachi abstineant a carnibus.*

Statuimus: ut a die Quatuor Coronatorum usque ad diem Natalis Domini, a sanguine et carnibus omnes monachi cujuscumque ordinis, praeterquam infirmi, debiles et delicati, cum quibus abbates discretione praevia poterunt dispensare, abstineant, omnibus diebus, exceptis Dominicis, jejunantes. Poterit tamen abbas ex causa cum aliquibus, ut aliquando bis comedant, dispensare; nec comedant ter in die nisi pueri, infirmi, vel qui in refectorio legent; nec comedant extra domos suas in parochiis suis, nisi quando procuratio ab aliquibus debetur eisdem. A septuagesima usque ad Pascha, quantum ad esum carnium, et esum sanguinis, idem praecepimus firmiter observari \*. Canonicos autem regulares, suam regulam regulariter

---

\* In collectione Canonum provinciae Gneznensis, quam Trāba Archiepiscopus curavit et edidit a. 1420, locus hic ita perperam redditur: «nec comedant ter in die nisi pueri et infirmi, vel qui in refectorio legent a septuagesima usque ad Pascha, quantum ad esum carnium et sanguinis. Item praecepimus firmiter observari, ne comedant extra domos suas in parochiis, nisi quando procuratio ab aliquibus debetur eisdem.» Statuta Provinciae Gneznensis Antiqua Revisa Diligenter et Emendata. Excusum Cracoviae per Matthiam Scharffenberger. M. D. XXVII.

praecipimus observare. Praecipimus etiam, quod nullus canonicus regularis diebus lunae et mercurii carnes in refectorio comedat, nisi festum fuerit novem lectionum. Silentium autem in claustro, refectorio et dormitorio firmiter praecipimus observari horis debitiss et statutis, in loco, ubi ad minus tres monachi, aut regulares canonici commorantur, ita scilicet, quod aliquis loqui non audeat, nisi voce adeo submissa, quod tertius ab ipso audire non possit.

**Caput 68.**

*Ut monachi et canonici regulares septa monasterii sui non  
debeant evagari.*

Quoniam, sicut audivimus, quidam monachi et canonici regulares aliquorum monasteriorum consueverunt extra septa sui monasterii, tam patenter quam latenter, tam turpiter quam damnabiliter per terram saepius evagari, statuimus: ut nullus, excepto capellano et illis, quibus ex necessitate administratio competit, septa monasterii sui exire audeat, nisi prius ab abate vel priori seu praeposito, et si abbas, vel prior seu praepositus praesentes non fuerint, ab eorum vicariis vel aliis potestatem habentibus eis specialiter licentia sit concessa; quibus abbas, seu prior vel praepositus vel eorum vicarii, sine causa necessaria vel rationabili exeundi licentiam non concedant. Nec etiam obtenta licentia, sine socio quis pedes exire prae sumat. Si vero abbates, priores, vel praepositi, vel regu-

lares praelati, seu eorum vicarii in aliquo praemissorum negligentes inventi fuerint vel remissi, suspensionis vel majoris vindictae sententia, a dioecesanis suis se neverint puniendos.

**Caput 69.**

*Ut monachi non celebrent donec redeant ad monasteria non sibi oeqi de su propria.*

Prohibemus, ne monachi vel canonici regulares ecclesiastas ad firmam recipient vel conducant, aut sine licentia dioecesanorum episcoporum vel aliorum Ordinariorum, parochialium ecclesiarum capellani existant; sed ad sua monasteria redeant; donec redierint, non celebraturi.

**Caput 70.**

*Si quis religiosus inventus fuerit cum canibus et avibus venatoriis; cuicunque occupanti conceduntur a nobis.*

**Caput 71.**

*Ut monachi in parochiis non resideant.*

Nullus regularis, cuiuscumque ordinis, continue deseruire audeat in parochialibus ecclesiis secularium ultra octo dies, sine illius parochialis ecclesiae Ordinarii licentia speciali. Qui vero tales scienter, ultra octo dies, loco capellanorum, ad celebrandum, vel ad ecclesiastica sacramenta ministrandum tenuerint vel sustinuerint, sint ipso facto ab ordinum executione suspensi. Quae suspensio

per dioecesanos, imposta eis super hujusmodi excessu seu transgressione poenitentia competenti, ac injuncto sibi, quod in talibus ulterius non excedant, valeat relaxari.

### Caput 72.

#### *De studio monachorum.*

Excommunicentur monitione praemissa omnes monachi et religiosi, qui relictis claustris suis absque praelatorum suorum licentia, ad scholas ire, vel aliud quam grammaticam, theologiam, aut logicam in scholis audire presumant.

### Caput 73.

#### *De non executione sententiarum excommunicationis et interdicti.*

Quia sicut audivimus, et in parte vidimus in regno Hungariae et aliis terris nostrae legationis, quod ecclesiasticae personae tam seculares quam regulares, et plerumque quod gravius est, praelati excommunicationum, suspensionum et interdictorum sententias in singulares personas, collegia, universitates ac terras, villas vel loca a suis judicibus, vel a jure, sive a canone promulgatas usque ad haec tempora, in grave animarum periculum, et illorum ad quorum instantiam, vel pro quibus hujusmodi sententiae latae fuerint, non modicum, imo plerumque maximum detrimentum, nec non in gravissimum auctoritatis et potestatis ecclesiasticae censurae

contemptum et derogationem ecclesiasticae libertatis, prout tenentur et debent hactenus minime servaverunt, nec fecerunt ab aliis servari, juxta mandatum Apostoli et statuta canonica excommunicatos hujusmodi non vitando, sed in salutatione, osculo, mensa, divinis officiis, ac aliis ab Apostolo et sacris Canonibus prohibitis, damnabiliter communicantes, quum eisdem laicis idiotis atque simplicibus, quos ad hujusmodi sententias observandas persuasionibus, monitis et exemplis inducere, et per censuram ecclesiasticam gravius compellere debuissent, suis pravis et perniciosis exemplis viam, imo invium et laqueos damnabiles ad contemptum libertatis et censurae ecclesiasticae paraverunt: quia, ut scriptum est, quod fit a praelatis, trahitur a subditis facile in exemplum; sique peccatis exigentibus, ex talium abusu, negligentia et contemptu, ac plurimorum malitia accidit, quod pauci inveniuntur in regno et terris praedictis, qui ecclesiasticam censuram revereantur et timeant; quum videant defensores ipsius censurae praelatos, et alias inferioris gradus ecclesiasticas personas, pastores, patres et medios animarum suarum hujusmodi sententias per ipsos, potius Divina quam humana auctoritate prolatas, quarum ad ipsas specialiter spectat tuitio, notabiliter et damnabiliter non servare: quia, ut sapiens ait, nec sic inflectere animos dicta possunt, ut vita regentis. Propter quae censura et libertate hujusmodi vilipensis, am indifferenter et impune in regno et terris praedictis

captivantur, verberantur, mutilantur, ac etiam occiduntur clerici; et quod deterius est, praelati bonis ac juribus suis, tam mundanis quam ecclesiasticis spoliantur; ecclesiae, monasteria et bona ac jura ipsorum ab ipsis laicis occupantur, invaduntur et damnabiliter detinentur, profanantur horribiliter, aliaque ruinis et incendiis destruuntur; earumque ac coemeteriorum immunitas infringitur ac etiam violatur; ac libertate ecclesiastica quasi totaliter conculcata, in omnibus fere dissolvitur quotidie nervus ecclesiasticae disciplinae; nos autem, omnibus praelatis, tam regularibus, quam secularibus et universis clericis in sancta synodo congregatis cum instantia petentibus, contra mala et pericula supradicta, per nostram constitutionem de opportunis remediis providere cupientes, praesenti constitutione praecipimus: quod omnes et singuli praelati et clerici universi, tam exempti quam non exempti, cuiuscumque dignitatis, ordinis vel religionis existant, excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias ab ejusdem regni praelatis nostrae legationis, et alias ordinariam vel delegatam jurisdictionem habentibus, vel a jure, seu a canone, in quascumque personas vel loca prolatas, postquam eis per denunciationem illorum praelatorum, vel judicum vel alio quocumque modo, de talibus sententiis constiterit, inviolabiliter observent, ipsaque ad requisitionem dictorum praelatorum et judicium denuncient, et aliis subditis \* denunciari faciant et invio-

\* Apud Raynaldum: *a tibi subditis.*

labiliter observari, se suosque subditos subtrahendo, aliosque a communione talium excommunicatorum in salutatione, osculo, cibo et potu, ac divinis officiis, nec non a celebratione divinorum in interdictis locis vel ecclesiis, quantum in eis fuerit, revocando, et expressius prohibendo. Si qui vero propriae salutis immemores, et hujusmodi sanctae constitutionis, nec non libertatis ac censurae ecclesiasticae contemptores, tales excommunicatos denunciare, ac in praedictis et aliis, in quibus excommunicati sunt de jure vitandi, vitare, et aliis subditis denunciari ac vitari facere diabolica fraude contempserint, vel in ecclesiis sive in locis interdictis celebrare divina, quacumque temeritate praesumpserint; si singulares sive privatae personae fuerint, excommunications, si collegium vel universitas ecclesiastica secularis aut regularis fuerit, eorum ecclesiae sive monasteria ipso facto ecclesiastico subjaceant interdicto. A quibus sententiis, post congruam satisfactionem exhibitam illis praelatis sive judicibus, qui hujusmodi sententias protulerint, et illis pro quibus, sive in quorum favorem praefatae fuerint sententiae latae, ab ipsis praelatis et judicibus, qui sententias protulere praedictas, vel ab illis superioribus, ad quos talium absolutio, vel relaxatio spectat de jure, juxta formam ecclesiae, absolutionis et relaxationis interdicti beneficium valeant obtinere. Quod autem de denunciandis excommunicatis supra diximus, intelligimus de Polonis, quantum ad Polonos, et de Hungaros et inco-

lis terrae regi Hungariae subjectae, quantum ad Hungaros et ipsos incolas.

**Caput 74.**

*De destructione agrorum et vinearum.*

Nonnullos execrabiles peccatores, qui solent justis hominum laboribus, ex quibus fragilitas humana reficitur, nonnunquam etiam sanctis viris, in agone hujus seculi certantibus opportunis, perversitate quadam diabolica invidere, videlicet vinearum et agrorum dissipatores, depopulatores seu destructores nocturnos et diurnos, publicos et occultos, excommunicationis sententia innodamus. A qua, postquam satisfecerint damnum passis, et de praemissis idoneam praestiterint cautionem, quod similia de cetero non committent, valeant a suis dioecesanis episcopis, juxta formam ecclesiae consuetam, absolutionis beneficium obtainere.

**Caput 75.**

*De reverentia et honore ecclesiasticarum personarum.*

Quum universalem ecclesiam, quam sibi Redemptor noster suo sanguine copulavit, cui Romana Ecclesia adeo specialis et singularis praeeminentiae privilegio est praelata, quod Mater sit omnium et Magistra, ipsiusque praelati, sacerdotes et clerici sint patres, pastores et judices animarum Religionis Christicolae, super Reges et regna divinitus exaltati, dictosque praelatos, sacerdotes et mini-

stros, quibus potestas ligandi atque solvendi animas a Domino est concessa, Reges ipsi et principes, ac fideles populi christiani honorare atque revereri pro animarum teneantur salute, multum profecto praesumere ac enormiter excedere sunt censendi ii maxime, qui gloriantur nomine christiano, quum ecclesias et personas ecclesiasticas, quibus de bonis a Deo sibi datis erogare, easque suis favorabilibus privilegiis et immunitatibus praemunire, atque ab injuriis, damnis, seu violentiis suae potestatis brachio defensare tenentur, per statuta, edicta, conjurations, confoederations, conspirationes, colligationes, machinationes tacitas vel expressas, vel alia varia divisorum gravaminum genera perturbant, inquietant, opprimunt vel molestant, seu ecclesias ipsas aut bona ipsarum vel ecclesiasticarum personarum, vel jura ipsarum occupando, invadendo, vel de facto indebite auferendo, aut in ipsas \* ecclesias et ecclesiasticas personas, seu bona ipsarum, quae subesse non debent legibus et judicibus laicorum, jura vel magis injurias statuendo vel judicando de ipsis, atque quaeque alia in praejudicium et gravamen ecclesiarum et personarum ipsarum quaelibet praesumendo. Nos volentes animarum saluti laicorum ipsorum nec non ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum privilegiis et immunitatibus contra hujusmodi gravamina et mala salubribus remediis providere, statuta edita, conjura-

---

\* Hoc loco desinunt codd. Vaticanus et Vallicellanus, quibus Raynaldus in adornanda sua editione usus est.

tiones, conspirationes, confoederationes, obligationes, machinationes tacitas vel expressas et alia quaecumque diversorum gravaminum genera his similia, nec non jura menta, obligationes seu promissiones super executione seu observatione ipsarum a quolibet inita sive praestita, et aliis quibuscumque poenis vallata cassamus et irritamus, et cassa et irrita nunciamus, decernentes illos ad executionem seu ad observationem talium non teneri. Et ne talium detestanda perversitas transeat impunita, omnes et singulos qui in praedictis sive praedictorum aliquo hactenus excesserunt, concedendo et statuendo vel ordinando praedicta, nisi infra duos menses postquam eis denunciatum fuerit per praelatos vel alios quoscumque, statuta edita nec non universa gravamina supradicta revocaverint, deleverint atque cassaverint, vel de cetero talia edere, statuere vel ordinare praesumpserint, aut statuentibus seu ordinantibus consilium, auxilium et favorem impendere, aut talia observare vel observari facere praesumpserint, excommunicationis sententiam incurrire volumus ipso facto, ipsorum et filiorum filios ad obtainendum aliquod beneficium ecclesiasticum in regno et aliis terris nostrae legationi subiectis, nisi forte in domibus regalibus, donec dicti excedentes omnia praedicta, in quibus excesserint, revocaverint, et ecclesiis et personis ecclesiasticis ad mandatum ecclesiae de omnibus damnis et offensis, quas ecclesiae et ecclesiasticae personae occasione incurrisserint praedicta, satisfecerint, inhabiles decernendo;

et qui talium filiis vel nepotibus, ante satisfactionem condignam, beneficium ecclesiasticum scienter conferre praesumpserint, seu eorum aliquos ad aliqua beneficia ecclesiastica elegerint, illorum collatio et electio sit irrita ipso jure; ipsique conferentes et eligentes per sex menses a collatione beneficiorum et jure eligendi ipso facto sint suspensi. Et in predictis aut praedictorum aliquo excedentes, post satisfactionem condignam a suis dioecesanis, juxta formam ecclesiae, permittimus posse absolvit.

Caput 76.

*De sepultura.*

Excommunicamus universos et singulos cujuscumque conditionis, ordinis seu religionis existentes, qui aliquos in sanitate aut in infirmitate, quocumque modo, ingenio sive fraude, per se vel per alios illicere seu seducere praesumpserint, ut eligant sibi sepulturam alibi quam apud ecclesiam suam parochialem, vel apud ecclesiam, apud quam praedecessores sui sepeliri consueverunt a multis temporibus retroactis. Eadam excommunicacionis sententia censemus involvi omnes, qui liberas voluntates eligentium in sanitate alibi sepulturam quam in parochialibus ecclesiis, propriis aut in patrum suorum sepulturis, et maxime religionis et devotionis majorum, quacumque fraude vel ingenio praesumpserint impedire aut etiam prohibere, quominus tales in locis hujusmodi de canonum permissione electis, libere ac sine impedimento debeant

sepeliri, si eis aliud canonicum impedimentum non obstat; salva semper canonica parochiarum, unde corpora assumuntur, justitia, et episcopali debita portione. Permittimus autem, quod a dioecesanis episcopis, de quarum jurisdictione fuerint seductores, vel alii violatores constitutionis praesentis, satisfactione praemissa, possint absolviri.

Caput 77.

*De confessione clericorum et sortilegiis et incendiariis et simoniacis et etiam furtive ordines recipientibus.*

Sciendum est, quod excommunicati sunt ipso facto, qui in clericos vel quoscumque religiosos manus iniciunt temere violentas, qui literas domini Papae falsificant, vel ad hoc praeparant, vel eis scienter utuntur falsis: et tales a domino Papa vel ejus mandato, sunt absolvendi. Excommunicamus sortilegia vel maleficia de sacramentis ecclesiae facientes, et qui malitiose procreaverint abortivum, et qui ad conjungendum vel ad distringendum matrimonium scienter deponunt testimonium falsitatis. Has autem sententias in suis ecclesiis frequenter nuncient sacerdotes. Excommunicamus etiam incendiarios et ecclesiarum effractores et voluntarios violatores, voluntaria homicidia sine judicio et justitia perpetrantes, simoniacos, furtive et per saltum ordines recipientes falsarios. Et hujusmodi excommunicatos dioecesanis episcopis juxta formam ecclesiae, satisfactione praemissa ac eis imposita praevia competenti, permittimus posse absolviri.

Caput 78.

*Ut nullus debeat absolvere excommunicatum.*

Statuendum duximus: quod nullus excommunicatum a domino Papa vel a quocumque ordinariam aut delegatam jurisdictionem habente absolvere debeat, nisi forte in mortis articulo constitutum; quia tunc excommunicatus hujusmodi a simplici sacerdote et juxta formam ecclesiae potest absolvi. Forma autem ecclesiae haec est: quod excommunicatus pro contumacia, praestito juramento, quod ecclesiae et illius, qui eum excommunicavit, parebit mandatis, et quod expensas taxandas restituet, potest in tali casu absolvi. Si vero pro offensa vel re judicata excommunicatus fuerit, tunc praestito juramento ut supra, ante omnia debet rei judicatae parere, et judicis seu boni viri arbitrio satisfacere de offensa. Quod si ille vel illi, pro quo vel pro quibus hujusmodi sententia lata fuerit, aut cui seu quibus de offensa satisfactio est exhibenda, forsitan absque infirmi periculo inveniri vel haberri non possint, nihilominus sacerdotis et bonorum virorum arbitrio pareat sicut potest, et ipsorum arbitrio pecuniam pro satisfactio-ne, illius nomine, quem offendit, in aede sacra vel penes honestos viros deponat. Quod si parere vel satisfacere forte non possit, pignora praedicto modo pro satisfactione deponat. Quod si forte hoc non possit facere, fidejussores idoneos ponat. Et si forte horum nihil facere possit, praecipi-iat sibi absolvens sub debito juramento, quod infra men-sem postquam restitutus fuerit sanitati, praesentiam sui

excommunicatoris adibit, et pro causis, pro quibus excommunicatus fuerat sive extitit, ecclesiae et judicis reverenter parebit mandatis. Si vero aliquis quem ex causis predictis excommunicatum, non servata in suis casibus forma praefata, absolvere praesumpserit, ad damna et interesse excommunicatori et adversario vel ejus heredibus teneatur; et alias nihilominus per dioecesanum vel alium praelatum seu superiorem suum acriter arguendus.

### Caput 79.

#### *De violatoribus ecclesiarum et coemeteriorum.*

Excommunicamus omnes sacrilegos et effractores immunitatis ecclesiasticae, ipsarumque ecclesiarum et coemeteriorum violatores, necnon praedas vel rapinas sive violentias in ipsis seu infra septa ipsarum committentes, statuentes: ut tales semel saltem in mense generaliter, per singulos praelatos nostrae legationis in diebus Dominicis sive solemnitatibus, pulsatis campanis et candelis extinctis, publice nuncientur et ab omnibus evitentur, donec ad mandatum praelatorum, in quorum dioecesisibus predicta fuerint perpetrata sive commissa, ecclesiis et aliis, quos hujusmodi occasione laeserunt, de damnis et injuriis satiscerint competenter.

### Caput 80.

#### *De testamentis.*

Quum ad episcoporum spectat officium, ut extremae le-

gitimae voluntates fidelium effectum mancipentur, prae-  
cipimus et mandamus, ut tam clerici quam laici, quum sua  
voluerint condere testamenta vel ultimas voluntates, pri-  
mum advocent parochiae sacerdotem, et coram ipso et  
aliis idoneis testibus sua legitime ordinent testamenta vel  
ultimas voluntates.

Caput 81.

*De ultimis voluntatibus sacerdotum.*

Praecipimus sacerdotibus, quod sacerdotes ad suasulti-  
mas voluntates unum vel duos advocent sacerdotes vel vi-  
carios eorundem, si possint commode. Quod si non fece-  
rint, dioecesanorum arbitrio graviter puniantur.

Caput 82.

*De eleemosynis et ultimis voluntatibus ad Curiam Roma-  
nam spectantibus.*

Cum Terra Sancta, Redemptoris nostri Iesu Christi pro-  
prio sanguine consecrata, impugnetur et occupetur assidue  
a blasphemis christiani nominis et fidei catholicae inimi-  
cis, eique subsidium christianorum sit quam plurimum  
opportunum; proinde duximus statuendum, quod praelati  
tam seculares quam regulares, rectores ecclesiarum pa-  
rochialium, necnon presbyteri universi, qui confessiones  
fidelium audiunt, poenitentias injungunt et praedicant Ver-  
bum Dei, commoneant populum et inducant, ut de bonis  
a Deo sibi collatis, inter vivos et ultima voluntate, aliqua

donent, offerant, legent vel relinquant in subsidium dictae Terrae, et ea quae devote conferre, legare vel relinquere disposuerint, deferant vel mittant de conniventia plebanorum, presbyterorum, rectorum parochialium suorum, post suam dispositionem, infra mensem, singuli ad ecclesias cathedrales, in quarum dioecesi morantur, ibique sub testimonio episcopi vel capituli et aliorum religiosorum vel aliorum honestorum virorum, nomine Romanae ecclesiae in camera cathedralis ecclesiae deponant, ad opus dictae Terrae, per episcopum vel capitulum vice et nomine Romanae Ecclesiae fideliter conservanda. Quibus, per aspersionem Sanguinis Iesu Christi et sub obtestatione divini officii, auctoritate qua fungimur, haec praemisso modo recipi praecepimus et servari, ita quod iidem episcopi et capitula teneantur, quid et quantum in praedictorum camera depositum fuerit, Summo Pontifici nunciare semel saltem in anno, sine dolo et fraude, et certis temporibus per fideles et securos nuncios ad Romanam Ecclesiam teneantur mittere praedicta hujusmodi, excusatione postposita, domino Papae vel ejus camerario, aut cui mandaverit assignanda; de hoc saltem ab ipso camerario testimoniales literas recepturi: Super hujusmodi autem donationibus et concessionibus, legatis vel relictis, archiepiscopi in suis provincialibus conciliis, et episcopi in suis synodis, clerum ibi in nomine Dei congregatum instruent et informent, quod ad tam piam causam singuli in sua parochia fidelium excitent voluntates,

et quod a plebanis, presbyteris, rectoribus parochialium ecclesiarum inquisitionem faciant diligentem, ut in lucem veniat et sciatur, a quo vel quibus quae et quanta in singulis parochiis ex donatione fidelium ad Terrae Sanctae subsidium obvenerunt. Quod si forte executores ultimorum voluntatum aut heredes vel fideicommissarii eorum, qui hujusmodi donationes, concessiones, legata sive relicta seu fideicomissa fecissent, jussa testamentorum in his non curarent vel protraherent adimplere, archiepiscopi vel episcopi dioecesani, ad quorum officium pertinet pias voluntates exequi defunctorum, ad exequendum et implendum praedicta per censuram ecclesiasticam compellant eosdem. Quisquis autem ex hujusmodi obventionibus aliquid rapuerit vel abstulerit, nisi plene restituerit a die perpetrati sceleris infra tres menses, vel qui in eis fraudem fecerit, nisi infra spatum praedicti temporis emendaverit ad plenum, se noverit ipso facto excommunicationis sententia innodatum, a qua nonnisi praemissa restitutione plenaria, et tantundem de suo ad utilitatem Terrae Sanctae insuper erogato, ac praestita sufficienti cautione, quod ulterius non excedat, per dioecesanos episcopos, secundum formam ecclesiae, absolvatur.

### Caput 83.

#### *De septem sacramentis.*

In fide Trinitatis, Incarnationis et septem sacramentorum, et in septem bonis operibus, quae septem capitali-

bus vitiis opponuntur, populum tam majorem quam minorem sacerdotes studeant instruere diligenter. De Trinitate autem ad minus docere tenentur expresse: quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres sunt Personae unusque Deus et una Persona non est alia. Et quum fides non subjaceat rationi, non est quaerendum, nec per laicos disputandum de his, quae ad fidem pertinent, quomodo vel quare, sed simpliciter credere debemus, et in futuro plene intelligemus.

Caput 84.

*De Incarnatione.*

Circa fidem Incarnationis docere debent: Filium Dei pro redemptione generis humani carnem assumpsisse, in beata Virgine de carne ejusdem Virginis non humana, sed Spiritu obumbrante, et qui prius Deus erat tum eundem de Virgine natum esse, Virgine manente integra et in conceptione et in nativitate. Unde propheta: *Descendit sicut pluvia in vellus;* pluvia enim in vellus descendens, vel extracta a vellere, illud non corrumpit sed mundius facit.

Caput 85.

*De passione.*

Docere debent: eundem consputum, alapis caesum et multipliciter irrigum in cruce mortem vilissimam sustinuisse, et eundem in anima descendisse ad inferos, ut animas sanctorum ibi detentas educeret, corpore quidem in sepul-

cro jacuisse; et eundem in eadem carne glorificata tertia die a mortuis resurrexisse; per quem et nos omnes in carne, quam gerimus, resurgemus, sed non omnes imitabuntur eum: boni in carne glorificata, mali vero in carne corrupta. Unde Apostolus: *Omnes quidem resurgemus.*

**Caput 86.**

*De Ascensione et Spiritus Sancti missione.*

Et docere debent: eundem quadragesima die ad coelos ascendisse, et in quinquagesima die Spiritum Sanctum sicut promiserat misisse; eundem venturum ad judicium et redditurum unicuique secundum opera sua: bonis vitam aeternam, malis ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

**Caput 87.**

*Ut non quaeratur ratio de articulis fidei.*

Dicatur saepe laicis, ut non quaerant rationem de articulis fidei, nisi de sacramentis; quia tanta est sublimitas fidei, quod ea quae subsunt fidei, non possunt intellectu comprehendi. Unde et fides non habet meritum, cui humana ratio praebet exemplum.

**Caput 88.**

Circa septem sacramenta, videlicet, baptismum, confirmationem, poenitentiam, Eucharistiam, conjugium, extremam unctionem et ordinem debent docere: quod in sus-

ceptione baptismi consistit salus peccatorum omnium; quia sine baptismo parvuli non salvantur: in proposito et cum ardenti voluntate suscipiendi, sine susceptione, salvati non possunt adulti.

### Caput 89.

#### *De baptisme.*

Baptismum cum honore et reverentia celebretur, et cum magna cautela, maxime in distinctione verborum et prolatione, in quibus tota virtus sacramenti consistit. Scilicet: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Amen.* In vulgari sub hac forma.... \* Laicos doceant sacerdotes frequenter, qualiter quum opus fuerit debeant baptizare, patrem et matrem. Etiam pueri, in summa necessitate, similiter doceant, posse baptizare. Dicant etiam laicis, quod nomen pueru non imponant. Forma autem verborum praedicta, ab eo qui baptizat, integre, continue, ordinate et sine interpositione aliqua proferatur. Interrogetur autem laicus, qui sic ipsum baptizavit, diligenter a sacerdote, quid dixerit, quid fecerit et si eum invenerit modo discreto et debito baptisasse, allato puero ad ecclesiae fores suppleatur quod deest, scilicet, pabulum salis et aurium linitio cum saliva. Et tunc a sacerdote nomen pueru imponatur; exorcismi tamen non dicantur, sed super fontes, sine immersione tamen, omnia fiant, quae solent fieri. Si vero dubium fuerit sub qua forma puer baptiza-

\* Forma de qua hic agitur in codd. non datur.

tus fuerit, tunc sacerdos omnia faciat et immergens dicat:  
*Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris et  
Fili et Spiritus sancti. Amen.* Ad elevandum puerum de  
fonte tres tantum recipientur patrini \*.

### Caput 90.

#### *De confirmatione.*

De Confirmatione, quae si digne recipiatur, in ea accipiatur Spiritus Sanctus, in bono confirmans eum, qui recipit, ac roborans contra diabolum et peccata. Iejuni istud debent recipere sacramentum adulti, et prius de omnibus peccatis, si tempus habeant, confitendi, et sunt per episcopos instruendi; aliter enim non recipiunt, si prius erant in mortali. Instruant autem sacerdotes parochianos suos, ne pueros portent vel admittant ad episcopos, ad confirmandum per episcopos, sine linteo, quo confirmatus ligetur in fronte, et tertia die, sicut mos, est solvatur linteum et comburatur, et ejus cinis ponatur sub terra.

### Caput 91.

#### *De poenitentia.*

De poenitentia, quae consistit in confessione, contritione et satisfactione dicendum est: ut sicut puer non est salus sine baptismo, ita adulto sine poenitentia, ad minus contritione, si verbis confiteri non possit. Vera enim poeni-

\* Nicolaus Traba archiepiscopus adjicit: *possunt tamen episcopi super pluralitate patrinorum dispensare.*

tentia hominem liberat a diabolo, impedit a peccato et reconciliat Deo.

**Caput 92.**

*De confessione sacerdotum.*

Praecipimus: quod omnes sacerdotes civitatum et dioecesum episcopis dioecesanis, clerici vero superiori presbyteratus ordine fungentibus aut eorum poenitentiariis, saltem semel in anno confiteantur. Permittimus autem, quod possint interim quoties voluerint a suis sacerdotibus confiteri.

**Caput 93.**

*Ut clericis confiteantur antequam ordines recipient.*

Clerici, antequam ordines recipient, poenitentiariis discretis confiteantur; ne forte per simplicitatem confessoris irretiti, in irregularitate ordinentur.

**Caput 94.**

*Ut in Quadragesima confiteantur fideles.*

Doceant, maxime ante Quadragesimam, sacerdotes, ut omnes utriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua fideliter confiteantur peccata, saltem in anno semel, proprio sacerdoti: injunctam sibi poenitentiam studeant pro viribus adimplere. Si quis autem ex justa causa alio sacerdoti voluerit confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacer-

dote, quum alius eum aliter non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit cautus et discretus, ac more periti medici, superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati. Caveat autem omnino, ne verbo aut signo aut aliquo quovis modo prodat aliquatenus peccatorem. Si autem prudentiori consilio indigerit, id absque ulla expressione personae, caute requirat. Quando qui peccatum, poenitentiarii judicio sibi detectum, praesumpserit revelare, non solum sacerdotali officio decernimus deponendum, verum etiam ad agendam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.

### Caput 95.

#### *De prudentia confessorum.*

Consulimus et monemus, ne sacerdotes passim et indistricte missas confitentibus injungant, sed cupiditatis notam fugientes in hac parte fructus, qui ex tali injunctione solet sacerdoti provenire, praecipient pauperibus erogare. Ad audiendam confessionem eminentem sibi locum eligant sacerdotes, ut possint communiter videri et non in locis obscuris, abditis vel absconditis. In qua quidem confessione habeant sacerdotes vultum humilem et oculos in terram fixos; ne indiscrete et frequentius faciem inspiciant confitentis et maxime mulieris, sed patienter audiant quid dixerit in spiritu lenitatis et ei pro posse suo et multiplicibus modis suadeat, ut confiteatur integre. Unde si aliter

audiatur confessio, non valebit. In confessione caveant sibi sacerdotes, ne inquirant nomina personarum, cum quibus peccaverint poenitentes; sed circumstantias tantum, quae possunt aggravare peccatum. Quum experientia didicimus certa, pro fornicatione vel etiam peccatis maximis, fere nullam vel minimam poenitentiam poenitentibus injungi a sacerdotibus, ignorantibus seu negligentibus canonica instituta, praecipimus etiam: quod sacerdotes studeant inquirere diligenter et peccata usitata et circumstantias usitatas peccatorum, maxime, gulae, luxuriae et cupiditatis, quibus genus humanum frequentius corrumpitur et defoedatur.

### Caput 96.

#### *De confessione homicidarum et aliorum hominum.*

Praecipimus: quod sacerdotes majora in confessione majoribus reservantes, mittant ad episcopum poenitentes homicidas facto, opere, consilio vel auxilio, blasphemos omnipotentis Dei et Beatae Mariae et Sanctorum, injectores manuum in parentes sive in clericos, vel quoscumque religiosos, incendiarios, simoniacos, literarum falsarios, incestuosos, detestabile peccatum contra naturam committentes, cum brutis vel monialibus rem habentes, ecclesiarum et coemeteriorum effractores et violatores, schismaticos et sortilegos, divinatores et homines, qui ad illos accedunt, qui de sacramentis aliqua maleficia commiserunt, vel auxilium praestiterunt, qui bis se permisit

baptizari, et qui interfuerunt scienter, qui sine prima tonsura aliquem ordinem suscepereunt, qui contra justitiam, vel conscientiam, aut consilium, sive auxilium in aliquo impendunt, unde mors hominis vel membrorum mutilatio est secuta, vel qui in his scienter occasionem sive causam dederunt, qui literas dictat, scribit vel legit, vel aliquod adminiculum ad hoc praestitit, ut aliquis mutiletur; item clericos qui suspensi vel excommunicati sunt promoti, aut celebraverunt Divina; item sacerdotes seu ministros, quorum negligentia circa sacramentum altaris aliquid in honestum quocumque modo evenit. Quibus omnibus, praeterquam illis, qui pro violenta manuum injectione in personas ecclesiasticas, in canonem latae sententiae inciderint, quos episcopi absolvere non possunt, per proprios episcopos de absolutionis beneficio provideri permittimus. Episcopi autem dicere debent omnibus, excommunicatis ex quibuscumque causis, quod nullo modo absque mortali peccato et irregularitatis vitio possunt vel debent se injungere divinis; et hoc publice eis dicant, si publicum est peccatum eorum, et si occultum occulite. Debent etiam dicere irregularibus quorum dispensatio ad solum Summum Pontificem spectat, quod nec in susceptis ministrare ordinibus, nec ad majores seu ad beneficia, curam animarum habentia, promoveri possunt, absque dispensatione Papae. Caveant autem episcopi, quod nullum ab excommunicatione, pro violenta manuum injectione in personas ecclesiasticas, nec ab aliis excommunicationibus a canone,

sive ab aliis judicibus latis absolvere, vel in irregularitatibus, nisi de mandato vel auctoritate Apostolicae Sedis, vel in casibus a jure permissis dispensare, praesumant.

### Caput 97.

*Ut medicina spiritualis praecedat corporalem.*

Statutum est in concilio \* et districte injunctum medicis corporum, ut quum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant et inducant, quod medicos ad vocent animarum; ut postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinae remedium salubrius procedatur. Ceterum autem, quum anima sit multo potior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid aegroto suadeat, quod in animae periculum convertatur.

### Caput 98.

*De confessione in articulo mortis.*

Ab infirmis, in articulo mortis positis seu constitutis, pura requirenda confessio, non poenitentia injungenda. Sed innotescat eis tantum est intimandum, ut conterantur et doleant pro peccatis suis universis et singulis, non timore poenae, quam peccando meruerunt, sed quia Deum Patrem et Creatorem ac Redemptorem suum offendere praesumpserunt, acerbitates aegritudinum quasi flagella patris, quam diu ei placuerit, cum gaudio sustinentes.

\* Concilium Lateranense IV. c. 22.

Quum autem convaluerint, statim ad sacerdotem accedere debent, et tunc eis poenitentia injungatur competens.

**Caput 99.**

*De sacramento altaris.*

De sacramento altaris dicendum est: quod ex virtute verborum, quae dixit Deus in Coena super panem et vinum, et Ordinis sacerdotalis, sive bonus sit sacerdos sive malus, post prolationem verborum ipsorum cum intentione conficiendi, ubi erat prius purus panis, est verum Corpus Christi animatum, de Virgine natum, in cruce passum, ad Dei Patris dexteram collocatum, non passibile quale fuit in via, sed glorificatum quale est in patria, et ubi erat purum vinum est verus sanguis Christi, qui de latere ejus profluxit, et sub utraque forma est totus Christus, scilicet, Deus et homo; quia nec corpus sine sanguine, nec sanguis sine corpore. Et est Sacmentum, cibus et refectio animae viventis per gratiam, ac damnatio animae mortuae in peccato; quia qui indigne sumit, judicium sibi manducat et bibit.

**Caput 100.**

*De hostia.*

Sacerdos ministrans diligenter attendat, quod hostia sit integra, ac integrum habeat circulum, et quod vinum non sit acetosum, et quod aquam non obmittat. Si autem aquam obmisit, quando animadvertis, apponit, tamen cum

si fieri potest sine scandalo. Si vero per negligentiam evenerit, quod perfecto canone et peracta consecratione, nec aqua nec vinum reperiatur in calice, debet statim infundi utrumque et hostia sit consecrata seorsim et reverenter consecretur; hostia autem nova sicut solet fieri, ante calicem opponatur, et reincipiatur in canone missae: *Te igitur.* Post communionem vero prior hostia sumatur, tum secunda ab ipso sacerdote. Et caveant sacerdotes ne panis et vinum remaneant super altare infra missam; praeter illa quae ab ipso sunt consecranda.

### Caput 101.

*Ut sacerdotes abstineant a spuendo post sumptionem Corporis.*

Praecipimus presbyteris: ut quando inceperint in canone missae: *Qui pridie,* tenentes hostiam, non elevent eam nimis; sed quod possit videri; et post sumptionem Corporis et Sanguinis, ab exspundo se abstineant, et si abstinerere non possint, in loco mundo hoc faciant, qui calcari non possit.

### Caput 102.

*De Sanguine Christi elapso super corporale.*

Sciendum est, quod si quid de Sanguine Christi ceciderit super corporale, sugenda est pars intacta, et ipsum corporale, aliquo panno mundissimo involutum, pro reliquiis est servandum. Si super pallam vel super sacrum

aliquid indumentum ceciderit, pars intacta prius sugatur, et postea scindatur et consuto panno mundo, conservetur pro reliquiis; ita tamen quod super pannum cedula consuatur continens super hoc linteamen: *Stilla hic cecidit Sacramenti.* Si super aliud commune vestimentum cecidit, pars intacta sugatur, et postea incendatur et comburatur, et cinis in sacrario reponatur. Si autem super lapidem, lignum, terramve ceciderit, lingendus et tergendus est locus ille, et radendus, et pulvis in sacrario reponendus. Si autem de Sanguine Christi super pallam, vel aliud ornamentum ceciderit, pars super quam cecidit abluitur, et ablutio a sacerdote vel alio conscientiae bonae sumatur. Sacerdos autem vel minister, cui id acciderit, ad episcopum debet mitti. Si musca, vel aranea vel aliquid tale in ipsum calicem ceciderit, quod vix sine vomitu, et aliquando non sine periculo corporali sumi potest, prius amoto eo quod ceciderit, sanguis sugatur, et postea illud quod ceciderit in piscina comburatur. Quod si fides ipsa, id quod ceciderit, quempiam sumere fecit, Deo grates.

### Caput 103.

*Ne pueris hostiae consecratae dentur.*

Prohibemus presbyteris, ne hostias consecratas pueris dent nullo modo pro communicatione in die Paschae; sed panem benedictum communem. Idem in aliis prohibitis communicare praecipimus firmiter observari.

**Caput 104.**

*Ut Eucharistiam renovent sacerdotes.*

Sacerdotes semper die octavo renovent Eucharistiae sacramentum, etiam tempore interdicti. Nullus antequam matutinas canonicas et primam dixerit, missam celebrare presumat; nisi aliqua necessitate.

**Caput 105.**

*Qualiter calix conservetur in panno.*

Calix post missam panno mundissimo involvatur, nec ministri eo interius tergant, sed alio ad hoc specialiter deputato, qui dum non satis decens fuerit, seu vetustute attritus, in sacrario comburatur.

**Caput 106.**

*Ut sacerdos lavet manus.*

Sacerdos antequam se vestiat pro missa, immediate lavet manus suas in sacrario vel ecclesia seu in loco vel prope locum, ubi vestiri solet. In altari duo manutergia sint pendentia, unum ad ablutionem post Evangelium, secundum ad ablutionem post sacramenti Sumptionem.

**Caput 107.**

*Ut sacerdos bis non celebret.*

Nullus audeat bis in die missam celebrare, nisi in Nativitate Domini. Cum duplici autem *Introitu* nullus audeat celebrare missam. Celebrans vero secundam, in pri-

ma vinum profusionis non sumat; ministro bonam conscientiam habenti conferat vel in piscinam ponat.

Caput 108 \*.

Invenimus decem sequentes praefationes cathalogo tantummodo recipiendas: unam in Pascha: *Te quidem Domine omni tempore;* aliam in Ascensione: *Qui post resurrectionem;* tertiam in pentecosten: *Qui ascendens super;* quartam de Trinitate: *Qui cum Unigenito;* quintam in festivitatibus Sanctae Mariae: *Et te in veneratione beatae Mariae;* sextam in festivitatibus Sanctae Crucis: *Qui salutem;* septimam de Apostolis: *Te quidem Domine suppliciter;* octavam in Nativitate Domini: *Quia per Incarnati Verbi mysterium;* nonam in Epiphania: *quia cum Unigenitus tuus;* decimam in Quadragesima: *Qui corporali jejunio vita comprimis.*

Caput 109.

*Ut in fracto altari non celebret sacerdos.*

Praecipimus: quod in altari, in quo tabula fuerit enor-  
miter fracta, sacerdos non celebret, donec altare conso-  
lidetur, et iterum consecretur. Nec super lapidem sine  
capsa celebretur. Ampullae vero vini et aquae in mini-  
sterio altaris sint mundae et integrae, vitreae, stanneae  
vel argenteae. Ad ablutionem manuum vas grandius de-  
putetur.

---

\* In codd. hoc capitulum inscribitur: *Sequuntur praefationes per annum.*

**Caput 110.**

*De piscinis.*

Provideant autem sacerdotes, quod piscinas habeant juxta altaria decentes, mundas, ablutionibus cursum liberum exhibentes; nec sine operimento relinquantur.

**Caput 111.**

*Ut corporalia et aliae vestes altaris abluantur in tempore.*

Sacordos sive diaconus corporalia saepe abluat, indutus superpellicio, in vase mundo ad hoc specialiter deputato. Omnes ablutiones, si fieri potest, in piscina deponantur, vel saltem prima; cetera autem in baptisterio. Item linteamina altaris et indumenta sacerdotalia nonnisi a sacerdote vel a diacono vel aliqua honesta matrona vel virgine sine admixtione, appositione aliorum pannorum convenienter, quando opus fuerit, abluantur, ita ut munda et nitida conserventur; quia nimis videtur absurdum sordes in vestibus sacris, quae dedecent etiam in prophanis.

**Caput 112.**

*De linteaminibus attritis ecclesiarum.*

Linteamina sacra, vetustate attrita, sacris inutilia in loco mundo comburantur secrete, et pulvis juxta parietem ecclesiae recondatur.

### Caput 113.

#### *De reverentia Corporis Christi.*

Hac salubri constitutione praecipimus districte: quod tam dioecesani, quam alii inferiores praelati, curam animarum habentes, diligenter et efficaciter informent clerum et populum sibi subjectum, quod in elevatione sive ostensione Corporis et Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, nudato capite cum devotione et reverentia genua flectant, quia Corpus et Sanguinem cum omni attentione adorent \*.

### Caput 114.

#### *Pro reverentia Corporis Christi.*

Frequenter moneantur laici et etiam pueri, ut ubique viderint Sanctum Corpus Christi deferre, statim genua flectant tamquam Domino et Creatori suo, et junctis manibus quoque transierit orent.

\* Post hoc capitulum nostri codd. exhibent adnotationes nonnullas, commentarii loco, ut nobis videtur, posterius additas. Haec autem adnotationes expressae sunt tali modo:

*Notabile sequitur.* Sicut dicit beatus Iacobus, per extremam unctionem venialia dimituntur, et quaeque alleviantur infirmitates; etiam ad veram contritionem et aeterni gaudii considerationem per eam initiatur.

*Notabile.* Ad sacramentum extremae unctionis moneant saepe sacerdotes populum. Hoc sacramentum licete potest iterari et saepe recipi in qualibet scilicet infirmitate, unde mortis est metus, et post susceptum licete ad opus conjugale reverti.

*Ad visitandum sequitur.* Moneant saepe sacerdotes populum sibi commissum, ut quotiescumque sani receperunt Corpus Domini, nihilominus quum per infirmitatem aliquam in Domino visitantur, petant et recipient Corpus Domini cum omni devotione, qua decet, solemni prius facta confessione de omnibus peccatis, offensionibus, et delictis contra ipsum Dominum Nostrum per ipsos commissis.

**Caput 115.**

*De absolutione infirmorum.*

Dignum videtur et decorum, ut quisque sacerdos infirmum in extremis laborantem absolvat ab omnibus, a quibus eum absolvere potest.

**Caput 116.**

*De ecclesiasticis Sacramentis observandis.*

Singuli sacerdotes singulos habeant calices, in quibus communicentur infirmi, qui decori sint et mundi, ut in eis infirmorum devotio excitetur, et hos habere teneantur singuli plebani et rectores parochialium ecclesiarum usque ad festum Resurrectionis Domini ad minus; et si hos non possint habere de argento, habeant de cupro, vel de stanno; et qui non habuerit in dicto termino, sit suspensus quousque habuerit. Nec permittant diaconos deferre Corpus Sanctum Domini, nisi in necessitate, quum sacerdos fuerit absens. Cum magna reverentia semper et maturitate illud deferant in pyxide idonea, bene clausa, propter casum. In eundo ad infirmum et redeundo, si certa fuerit via, psalmos dicat poenitentiales et litaniam.

**Caput 117.**

*De Corpore Christi.*

Si quid in ore infirmi de Corpore Christi remanserit, vel inde exierit, vel ab eo recipi non possit aliquam for-

mam habens, ab ipso sacerdote debet sumi convenienter, vel commixtum in calice cum modico vino alicui, habenti bonam conscientiam dari debet. Si autem infirmus adeo fuerit artatus, quod sub magna forma Corpus Domini recipere non possit, sub minima forma scindatur et in calice commixtum cum modico vino in ore infirmi instilletur, et maxime si sine scandalo aliter fieri non possit; ne infirmus sine viatico videatur obire.

**Caput 118.**

*De matrimonio.*

De sacramento conjugii est sciendum, quod omnis voluntaria seminis emissio est mortale peccatum, nisi per legitimum matrimonium excusetur. Sed matrimonium inter marem et faeminam facit licitum coitum; si tamen modo licito misceantur.

**Caput 119.**

*De matrimonio et benedictione.*

Prohibemus sub poena excommunicationis et magnae iemendae seu satisfactionis, ne aliquae personae consentant matrimonialiter per verba de praesenti, donec sint ante fores ecclesiae, quando debet nuptialis benedictio celebrari. Possunt tamen quasi dare fidem de matrimonio contrahendo inter se, si sancta Ecclesia id poterit sustinere, et hoc tamen fiat sine presentia sacerdotis paro-

chialis. Contravenientibus ecclesiae interdicatur ingressus, donec, satisfactione praemissa, quod ulterius in talibus non excedant, ad requisitionem sui parochialis sacerdotis, qui in talibus interesse debuit, praestiterint cautionem. Hoc autem statutum, semel ad minus in mense, in aliqua die solemni, per ecclesias, publice per singulos parochiales nuncietur presbyteros.

**Caput 120.**

*De matrimoniiis occultis.*

Clandestina matrimonia penitus inhibemus, prohibentes expresse, ne quis sacerdos talibus interesse praesumat, statuentes: ut quum matrimonia fuerint contrahenda, presbyteri publice proponant competenti termino praefinito, ut contra illud, qui voluerit, legitimum impedimentum opponat; et etiam ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Si forte probabilis apparuit conjectura contra copulam contrahendam, contractus impediatur expresse, donec quid fieri super eo debeat manifestis constiterit documentis. Si autem in computatione graduum aliqua dubitatio emerserit, in hoc definitio episcopi requiratur. Nec sacerdos quisque audeat in casu dubio perficere matrimonium, episcopo inconsulto; se ad episcopum referat, quando emerserint super matrimoniis quaestiones. Semper prohibeant sacerdotes, sub poena excommunicationis, super nuptiis sortilegia.

**Caput 121.**

*Ne conjugatus ad ordines recipiatur.*

Prohibeant etiam sacerdotes, sub poena excommunicationis, in ecclesia, ne alter conjugum ad religionem transseat, nec votum continentiae ipsius admittatur, nec ad religionem aliquam recipiatur, nisi per episcopum dioecesanum hoc fuerit prius probatum. Provideat tum dioecesanus, quod persona in seculo remanens talis sit, quae absque suspicione de juris permissione possit in seculo remanere.

**Caput 122.**

*Ut sacerdotes non impendant benedictionem.*

Nullus sacerdos benedictionem nuptialem impendat, nisi fuerit capellanus alterius conjugum, vel nisi fuerint capellani contrahentium eorundem.

**Caput 123.**

*De nuptialibus donis et quod presbyteri pro collatione sacramentorum nihil exigant.*

In concilio \* prohibetur, ne aliquis pro benedictione nubentium, exequiis mortuorum et aliis sacramentis pecuniam extorquere praesumat, aut fidejussores exigat, aut propter hoc fictitia impedimenta imponat. Debent autem, quibus impensa sunt sacramenta, pias consuetudines.

\* Concilium Lateranense IV. c. 66.

nes observare, et sunt per episcopum composcendi, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Et ideo inhibemus ne sacerdos aliquis, in casibus hujusmodi, audeat sibi jus dicere; sed apud seniorem suum querelam deponat.

**Caput 124.**

*De ordinibus.*

Debent credere laici, quod nec conficit nisi sacerdos, nec confert ordines nisi episcopus, et quod eam habet virtutem quam sancta Ecclesia confitetur.

**Caput 125.**

*De signo Judaeorum in pectore.*

Quia valde periculosum est et sacris canonibus inimicum, quod Judaei, quos pietas christiana receptat et sustinet cohabitationes eorum, a Christianis per aliqua non distinguantur et cognoscantur insignia et signa, quod cum Christianis in familia habitent, vel morentur, vel in curiis ac domibus conversentur, aut Christiani habitent cum eis; praesenti constitutione statuimus: quod omnes et singuli Judaei utriusque sexus, in terris nostrae legationis, portent unum circulum de panno rubeo, pro signo, assutum sive consutum ante pectus, in parte sinistra, in veste superiori, quam communiter et regulariter portant de super vestes suas alias, quum extra domos, sive habitationes exeant, vel incedant, vel publice quocumquo modo appa-

reant, aut se exhibeant, vel ostendant, et hujusmodi signum infra . . . . \*. Quod si in hujusmodi signo assumendo infra terminum supradictum, aut etiam de cetero deferendo, prout superius est expressum, Judaei praefati vel eorum aliqui contumaces fuerint rebelles, extunc Christianorum commercium, nec non ignem et aquam sibi novarint interdictam. Christiani vero qui contra constitutionem hujusmodi praefatis Judaeis in merciis commutare, aut eis ignem vel aquam dare, aut aliquos Judaeos in familia retinere, aut ipsis Judaeis familiariter adhaerere, aut cum eis in familia, curia sive domo stare praesumpserint, ipso facto sciant sibi ingressum ecclesiae interdictum; nec prius eis in ecclesiam pateat ingressus, quam ad mandatum episcopi, abbatis, praepositi, archidiaconi seu cuiuslibet alterius praelati in cuius dioecesi, dominio vel jurisdictione Christiani hujusmodi commorantur, sufficienti, sub certa poena, cautione praestita, quod ulterius in talibus non excedant, ad ingressum ecclesiae fuerint restituti. Quod autem constitutum est de Judaeis, hoc de Sarracenis, Ismaelitis et quibuscumque aliis non colentibus baptismatis sacramentum statuimus inviolabiliter observandum; hoc excepto, quod ubi Judaei portant circulum pro signo rubeum, alii supra dicti signum croceum teneantur deferre.

---

\* Pro certo habemus, hoc loco Judaeis diem quemdam indictam fuisse ad exequenda mandata synodi; sed haec in codd. partim omissa, partim vitiata, sic ut ex relictis verbis sententia nulla expleri potest.

Caput 125.

*Ne Judaei tributa recipient.*

Praeterea statuimus: quod tributa, vectigalia, telonea seu pedagia vel quaevis alia publica officia Judaeis, Saracenis, Ismaelitis, schismaticis seu quibuscumque aliis, ab unione Fidei Catholicae alienis, nullatenus committantur; et specialiter praelati ecclesiarum suarum redditus seu proventus eis vendere non audeant, vel locare. Quod si quis contra hoc venire praesumpserit, si episcopus fuerit, ab executione pontificalium, inferiores vero praelati seu clerici, cujuscumque sint ordinis, dignitatis ac status, ab executione suorum ordinum per tres menses ipso facto neverint se suspensos. Vel si infra tres menses ipsos non expulerint vel expulso reassumpserint, excommunicationis sententiam ipso facto incurvant. Laiicos autem cujuscumque honoris, conditionis, dignitatis, praeeminentiae, sive status, qui in derogationem constitutionis praesentis hujusmodi officia Judaeis vel prohibitis supradictis quocumque modo commiserint, vel eos retinuerint, aut sustinuerint in officiis supradictis, tam diu volumus excommunicationis sententiae manere subjectos, donec Judaeis et aliis infidelibus praefatis ab officiis amotis et ejectis supradictis, et praestita sufficienti cautione dioecesanis suis, quod nulos ex praedictis de cetero in aliquo recipient, retinebunt aut habebunt officio, juxta formam ecclesiae fuerint absoluti.

**Caput 126.**

*De sacerdotibus schismaticis.*

Perpetuo prohibemus edicto: quod schismatici sacerdotes in terris nostrae legationis officiare ecclesias non sinantur; nec permittantur habere vel aedificare absque dioecesanorum, in quorum dioecesibus vel jurisdictionibus commorantur, licentia et consensu nova oratoria vel capellas, et christianis nec schismaticis ministrare ecclesiastica sacramenta. Ipsique christiani prohibeantur districtius ipsorum schismaticorum officia audire, vel ad ea accedere, aut ab eis etiam aliqua recipere sacramenta. A quibus dictis omnibus schismatici per censuram ecclesiasticam arceantur, quam si forte contempserint, per seculare brachium a talibus compescantur.

**Caput 127.**

*De omni populo christiano.*

Et quia pium est, imo debitum omni christiano, et praecipue in sacerdotali constituto ordine, pro Summo Pontifice, qui Caput est Universalis Ecclesiae et Rector populi christiani, ad Deum preces vel orationes effundere, hujus approbatione consilii statuimus: quod juxta ordinem et morem Ecclesiae Sanctae Romanae, singuli sacerdotes in celebratione missarum suarum specialem orationem pro ipso Summo Pontifice faciant, videlicet illis temporibus et diebus, quibus secundum morem et ordinem supradictum, orationes fiunt pro ipso speciales.

Justum enim est omnes orare pro illo, qui est Caput omnium, et pro omnium salute laborat et orat.

**Caput 128.**

*De malitia hominum.*

Ne autem aliquo dolo, fraude seu malitia, vel affectata ignorantia quidquam contra constitutiones praefatas addi, minui, mutari, vel deleri contingat, volumus et districte praecipiendo mandamus: quod omnia capitula cathedralium ecclesiarum totius nostrae legationis, infra duos menses, ex quo copiam potuerint habere earundem, ipsas conscribi faciant litera grossa, legibili atque distincta; ipsasque ligari faciant in tabulis, ad modum libri; et ferrea catena connexas in sacrario sic affigi, quod commode legi possint, nec inde de facili valeant deportari. Quicumque constitutiones praefatas de dictis sacrariis auferre vel asportare, seu aliquid in eis delere, addere, radere vel mutare praesumpserit et de hoc constare poterit, Dominicam indignationem incurrat et nihilominus tamquam falsarius per dioecesanum loci illius, ubi hoc commiserit, vel per alium superiorem animadversione puniatur.

Ad haec praecipiendo mandamus: quod singuli episcopi legationis nostrae praedictae semel saltem in anno in episcopalibus synodis suis, capitula vero cathedralium ecclesiarum in generali capitulo, propter hoc faciendo, quater in anno, videlicet tribus mensibus semel, consti-

tutiones praedictas solemniter legi faciant, et diligenter exponi.

Editae et publicatae et approbatae fuerunt supradicte constitutiones per nos legatum praefatum, supradicto approbante concilio, anno, indictione, Pontificatus et loco superius adnotatis, praesentibus: magistro Fidancia plebanio sancti Quiriti, Parisiensis dioecesis, fratre Johanne monacho, dicto Lombardo, monacho Nicolao de Gwarthine et Octavo de Fraria \* notario, et fratre Gerardo de Placentia, monacho de Drondolo Ordinis Cistersiensis. In cuius rei testimonium eas munimine nostri sigilli fecimus roborari, ac etiam infrascriptos notarios publicos eis subscribi, ipsasque eorum sigillis authenticis consignari.

\* In cod. Stron. Femia.

Capit. I.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Quum  
Apostolus dicat: fundamentum aliud nemo potest ponere,  
quam id quod est Jesus Christus, et ex eo Gregorius in-  
serat: ubi Christus fundamentum non est, nullius boni  
operis potest esse superaedificium (sic); nos Jacobus, mi-  
seratione Divina Gneznensis archiepiscopus, una cum ve-  
nerabilibus fratribus nostris coepiscopis provinciae Po-  
loniae, constitutionibus predecessorum nostrorum ma-  
nentibus illibatis, propter multiplicationem emergentium  
casuum et ob crescentem malitiam perversorum, aliqua  
duximus statuenda a fundamento, quod positum est, quod  
est Jesus Christus et Fides Catholica, quae de ipso et su-  
per ipsum fundata est, utpote super firmam petram,  
principaliter inchoantes.

**VI. JACOBUS ARCHIEPISCOPUS GNEZNENSIS.**

**1. Synodus incerti loci a. 1285.**

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Quum  
Apostolus dicat: fundamentum aliud nemo potest ponere,  
quam id quod est Jesus Christus, et ex eo Gregorius in-  
serat: ubi Christus fundamentum non est, nullius boni  
operis potest esse superaedificium (sic); nos Jacobus, mi-  
seratione Divina Gneznensis archiepiscopus, una cum ve-  
nerabilibus fratribus nostris coepiscopis provinciae Po-  
loniae, constitutionibus predecessorum nostrorum ma-  
nentibus illibatis, propter multiplicationem emergentium  
casuum et ob crescentem malitiam perversorum, aliqua  
duximus statuenda a fundamento, quod positum est, quod  
est Jesus Christus et Fides Catholica, quae de ipso et su-  
per ipsum fundata est, utpote super firmam petram,  
principaliter inchoantes.

Caput 1.

Imprimis ergo statuimus: quotiescumque episcopi per suas dioeceses synodos celebraverint, omnibus presbyteris et clericis, per se vel per suos vicarios, sacramenta ecclesiae et articulos fidei in symbolo Apostolico expovere et distinguere debeant singillatim, quum eos scire omnes clerici explicite teneantur in hunc modum. Septem sunt sacramenta ecclesiae: baptismus, confirmatio, Eucharistia, poenitentia, extrema unctio, sacer ordo, matrimonium, quae per ordinem in hoc versiculo designantur: Abluo, firmo, cibo, luo, lineo, proveho, nubo. Articuli vero fidei patent in symbolo taliter distinguendo: *Primus articulus*: Credo in Deum etc.; *secundus* incipit: Et in Jesum Christum etc.; *tertius*: Passus sub Pontio etc; *quartus*: Descendit ad inferos in anima tantum; *quintus*: Tertia die resurrexit a mortuis; *sextus*: Ascendit ad coelos in anima et corpore etc; *septimus*: Inde venturus est etc; *octavus*: Credo in Spiritum sanctum; *nonus*: Sanctam Ecclesiam Catholicam; *decimus*: Sanctorum communionem; *undecimus*: Remissionem peccatorum; *duodecimus*: Carnis resurrectionem etc. Hi autem articuli secundum theologos taliter distinguuntur, secundum vero iuristas sunt VII, et cum his versiculis taliter designantur: Nascitur, abluitur, patitur, descendit ad ima, Surgit et ascendit, veniet discernere cuncta.

**Caput 2.**

Item statuimus: quod omnes clerici, dum horas dicant in *prima* et in *completorio*, symbolum praedictum dicant distincte et etiam omnes horas; et dum sint apud suas ecclesias, in ecclesiis ipsas dicant taliter alta voce, quod se intelligent et ab aliis audiantur; et ante quamlibet horam dicant orationem Dominicam, post horam vero: *Salve Regina*, cum tribus collectis, prima de Domina; *Protege, Domine*, secunda, contra gentiles: *Deus, qui sanctam civitatem*, tertia pro Ecclesia: *Exaudi, Domine, Ecclesiam tuam*, cum illo: *Et pacem tuam nostris concede temporibus*. Ante horas vero die Dominica: *Ave Maria*, genibus provolutis.

**Caput 3.**

Statuimus etiam: ut omnes presbyteri singulis diebus Dominicis, intra missarum sollemnia, dictum symbolum et orationem Dominicam et salutationem Virginis glorio-sae, decantato symbolo, loco sermonis exponere debeant populo in polonico, et festa indicere. Si qui autem, adeo periti fuerint, exponant Evangelium ad bona opera fa-cienda, et vitia fugienda, et ad divinum officium, aut saltem ad Corpus Christi videndum populum inducentes; et ante elevationem campana pulsetur, ut homines con-currant, ac deinde ut orent pro domino Papa et omni gradu Ecclesiae, pro Regibus et principibus, cunctoque populo christiano, pro pace et bono statu terrae et cunc-

tis, quae sunt universorum et singulorum usibus profutura; specialiter autem pro benefactoribus et patronis, ac generaliter pro vivis et defunctis ibi sepultis.

**Caput 4.**

Praeterea, ut populus suas non subterfugiat ecclesias, maxime in sepulturis eligendis, sed ad eas potius ipsius devotio excitetur, statuimus et firmiter praecipimus observari: ut beneficia et nomina benefactorum ecclesiae cuiuslibet habeantur in scriptis, et post exhortationem hujusmodi publice recitentur, ut pro ipsis fiat oratio specialis; et dies obitus eorum in libris et prope sepulcra parietibus annotetur; et ut eorum anniversarium praesentibus nuncietur, qui ad eorum invitentur exequias. In fine autem exhortationis hujusmodi populus generalem confessionem faciat in haec verba: *Kaję się Bogu etc.*

**Caput 5.**

Item statuimus: ut in omnibus ecclesiis nostrae provinciae cathedralibus et conventualibus historia beati Adalberti habeatur in scriptis, et ab omnibus visitetur et cantetur.

**Caput 6.**

Statuimus insuper, quod ad conservationem et promotionem linguae polonicae, in singulis locis ecclesiarum

cathedralium, et conventualium, et aliis quibuscumque locis non ponantur rectores scholarum, nisi linguam polonicam proprie sciant, et possint pueris auctores repetere sive exponere in polonica lingua.

### Caput 7.

Item volumus et statuimus: ut archidiaconi, dum officium visitationis exerceant, ab omnibus presbyteris sibi subjectis audire Canonem teneantur, et eos, si quod legunt in officio missae intelligent, examinare toto ordine, in verbis, gestibus atque signis. Huic etiam constitutioni adjicientes statuimus: ut tunc praesentes constitutiones apud ipsos presbyteros videant et in eis ipsos examinent, si eas exequantur diligentius inquirentes.

### Caput 8.

Item statuimus: ut presbyteri vel rectores ecclesiarum sacerdotalia et altaris munda semper habeant ornamenta. Adjicimus etiam: ut Eucharistiam et alia ecclesiastica sacramenta munde servare debeant et decenter. Statuimus etiam: ut ecclesias suas habere debeant inferiorius et superius mundatas omni sorde; nam verecundum est in sacris, quod dedecet in profanis.

### Caput 9.

Item statuimus: ut non vendantur ecclesiastica sacramenta, quum gratia debeatur gratis dari.

### Caput 10.

Adjicientes etiam statuimus: ut infirmi sine dilatione, quoties opus est, visitentur, et quod Eucharistia per sacerdotes, praecedente sono campanae, in civitatibus autem praecedente lumine, honorifice deferatur.

### Caput 11.

Praeterea statuimus: ut de his omnibus et aliis, quae ad officium pertinent sacerdotum et aliorum quorumlibet statuum, inquiratur per archidiaconos aut ipsorum vicarios, dum visitationis exerceant officium, et in his delinquentes, secundum qualitatem delicti, ab iisdem archidiaconis puniantur.

### Caput 12.

Praeterea statuimus: ut coemeteria semper sint plantis circumdata vel fossato; ut nonsacrum dinoscatur a sacro.

### Caput 13.

Praeter haec autem praecipiendo mandamus: ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter vel subintroductam mulierem. Unde etiam ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicacione statuit, dicens: quicumque sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum post constitutionem beatae memoriae praedecessoris nostri sancti Leonis Papae et Nicolai,

*de castitate clericorum*, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei et auctoritate Apostolorum Principum Petri et Pauli praecipimus, ut missam non cantet, nec Evangelium legat, nec epistolam ad missam; neque in presbyterio cum his, ad divina officia, qui praefatae constitutioni non obedientes fuerint, maneat, neque partem ab ecclesia suscipiat \*.

Caput 14.

Item quum publici concubinarii excommunicati sint, ipso facto, per constitutiones venerabilis patris domini Philippi Firmani episcopi, quondam in partibus Poloniae Apostolicae Sedis legati, ac per consequens irregulares, quia divinis officiis se immiscent, nec non alii eis communicando per ejusdem Philippi constitutiones laqueum majoris excommunicationis incurant, quum etiam per constitutiones venerabilis patris Guidonis, quondam legati Poloniae, tales suis privati sint beneficiis ipso facto, et sic sacrilegii crimen incurant, et archidiaconi suspensi sint ab officiis ipso jure, si haec negligent emendare, quum per hoc frequens et grave multorum immineat periculum animarum, nos his irrevocabiliter positis taliter duximus providendum: ut quum archidiaconi super corrigendis talium excessibus negligentes visi fuerint, dioecesani unam vel duas personas juratas fide dignas per singulas ecclesiastas suarum dioecesium secrete transmittant, et concubi-

\* Decret. c. 5. 6. D. XXXII.

nas hujusmodi per dictos nuncios faciant captivari, etiam invocato, si ad hoc opus esset, brachio seculari patronorum aut etiam villanorum; captae autem cum sua prole taliter acquisita, pro arbitrio dioecesani, redigantur in perpetuam servitutem, aut si dioecesanis visum fuerit, recepta fidejussoria cautione pro qualitate delicti, fustigatae dimittantur; et nihilominus contra personas per censuram ecclesiasticam procedatur, et bona pro talibus comparata in usus ejusdem ecclesiae convertantur.

### Caput 15.

Item statuimus: ut ecclesiarum possessiones secularibus personis, quum per hoc in totum alienari soleant, nullatenus concedantur. Si quae concessae sint, per eos, ad quos pertinent, infra anni circulum revocentur; quod si neglexerint, ipsorum negligentia punita, per episcopos suos suppleatur. Ecclesiasticis personis tamen et etiam laicis eisdem servientibus ecclesiis, utrisque cautione praestita, concedi poterunt de suorum dioecesanorum assensu ita, quod nullatenus ad suos transeant successores.

### Caput 16.

Praeterea volumus et ordinamus: ut nulla persona seu collegium, cuiuscumque sit dignitatis aut status, prout juris est, irrequisito dioecesano, ecclesias vel monasteria fundare praesumat. Si qui vero contravenerint, populus

ab ipsorum divinis et demum a communione protinus arceatur, quum per hoc dissolvatur nervus ecclesiasticae disciplinae. Si qui vero contra haec, privilegia dixerint se habere, nobis ea, usque ad instans Pascha, debeant praesentare.

Caput 17.

Et quum praeterita pericula nos circa futura faciant cautiores, volumus et ordinamus: ut si aliquae personae vel collegia a nostra se provincia separaverint, schisma quodammodo faciendo, quum jam quidam per factum hujusmodi a sui dioecesani obedientia recesserint, pontificalia eis ministeria et ecclesiastica beneficia, sepulturae videlicet et eleemosynae penitus denegentur; et si canonicie moniti ad unionem vel obedientiam non redierint, extunc populus ab ipsorum communione districtius arceatur; insuper a personis ecclesiasticis ad hospitia nullatenus colligantur. Hoc ipsum extendi volumus ad eos, qui jam schisma et inobedientiam hujusmodi commiserunt.

Caput 18.

Et quoniam quidam religiosi terrigenas nostros Polonus ad ordinem recipere frequentius aspernantur, alienigenas potius amplectentes, tamen ab indigenis beneficia receperint, pro quorum salute monasteria potius sunt fundata, volumus et statuimus: ut ab hujusmodi contemptu, per diocesanum episcopum, per subtractionem beneficio-

rum, ut supra cautum est, arceantur. Et si aliqui contra hoc dicunt se habere privilegia, eadem teneantur nobis infra Pascha proximum praesentare.

### Caput 19.

Item quum et alias sit statutum, ut nullus cuius conditio, status, genus et conversatio ignota est ad ordines admittatur, nos hoc iterum innovantes adjicimus: ut etiam nullus, extra nostram provinciam promotus, ad servendum in nostra provincia vel recipiendum beneficium admittatur, nisi prius per dioecesanum fuerit admissus, et hoc per literas ejusdem dioecesani patentes ostendat.

### Caput 20.

Item quia plurimi vicarios recipient ad suas ecclesias minus idoneos vel ignotos, ut eis salarium minus solvant, volumus, ut omnes vicarii hujusmodi archidiaconis praesententur, ne in literis admissionis plebani possint decipi vel sigillis.

### Caput 21.

Item volumus: ut vicarios idoneos in suis ecclesiis perpetuo convenient, et victum V marcarum eis praedestinamus habere.

### Caput 22.

Item statuimus: ut quum ad alios sacros ordines debue-

rint ordinari, non recipiantur nisi confessi; ne executione suorum ordinum careant, si fuerint in mortali peccato.

### Caput 23.

Item statuimus: ut ex quo fuerint ordinati, ordinationis suaे literas habere teneantur. Similiter quum beneficiati fuerint, investiturae suaे literas debeat obtinere.

### Caput 24.

Item statuimus: ut nullus de beneficiatis se a sua ecclesia extra provinciam vel dioecesim audeat absentare, nec alicui servire, nisi de sui dioecesani licentia speciali.

### Caput 25.

Item quum episcopi fundant ecclesias aut fundatas dota-re volunt, statuimus: ut dos in perpetuam memoriam ha-beatur in scriptis, et sub sigillo praelati et patroni litera diligentius conservetur. Si quae autem decimae, pro usi-bus ejusdem ecclesiae, fuerint assignatae, sub certa li-mitatione terrae et quantitate valoris debeat assignari, ita ut excrescentiae, si quae forent imposterum, ad mensam episcopi revertantur. Hoc autem ad cathe-drales ecclesias nolumus extendi.

### Caput 26.

Quum vero non sit malitiis hominum indulgendum, et quorundam adeo malignitas inolevit, ut quum homines

innoxii plena securitate se gaudere credant, ipsi pejores publicis viarum praedonibus seu piratis, homines insontes temeritate propria capiunt et faciunt captivari, statuimus: ut ad instar nocturnorum praedatorum agrorum, seu robatorum publicarum stratarum, hujusmodi detestabiles praedatores seu potius perditores, ipso facto sententiam excommunicationis incurvant, et loca in quibus habitaverunt et in quibus captivi detenti fuerunt, ecclesiastico supponantur interdicto, donec captivati taliter, absque nullius exactione pecuniae, pristinae reddantur libertati.

Caput 27.

Item quum statutum sit, ut quum aliqui excommunicatos in curiis suis scienter detinent, in curiis eorum divina officia non debeant celebrari, nos adjicientes statuimus: ut si aliqui clerici moniti contra praedictum statutum venerint, ab officiis et beneficiis sint suspensi. Et quum cautum est, ut conjuratores et conspiratores a proprio gradu cadere debeant, statuimus: ut si qui tales reperti fuerint, suis beneficiis spolientur.

Caput 28.

Item statuimus et firmiter praecipimus observari: ut si qui clerici quibuscumque personis contra ecclesiam praestiterint patrocinum, consilium et favorem, si beneficiati sint, ipsis beneficiis sint privati; si vero non, ad ecclesiastica beneficia sint inhabiles obtinenda.

Caput 29.

Item statuimus: quod quum aliqui copulandi fuerint, banna tribus diebus Dominicis continuis in eorum parochiis promulgentur. Zapovedni.

Caput 30.

Item si rapta puella fuerit vel forte rapi se praeceperit, raptori nullatenus copuletur, donec reddatur pristinæ libertati; et presbyteri taliter copulantes poena trium marcarum argenti puniantur.

Caput 31.

Item quum periculosum sit divertii sententiam ab imperitis proferri, statuimus: ut tales sententiae non nisi a dioecesanis vel archidiaconis juris peritis ferantur.

Caput 32.

Item quum Judaei melioris conditionis non debeant esse Christianis, et Christiani res furtivas, quamvis emptas, vero domino, absque solutione pretii, cogantur ad restitutionem ipsarum, statuimus: ut Judaei, apud quos res furtivæ inventae fuerint, absque solutione pretii, cogantur ad restitutionem ipsarum rerum. Si qui vero in hac abusione fuerint, ut res apud eos repertas, nisi data pecunia restituant, aut manutenerint, aut etiam defensaverint, per censuram ecclesiasticam compescantur.

Caput 33.

Item statuimus: ut nullus apud Judaeos res sacras vel libros deponere praesumat, vel quomodolibet obligare, nisi in gravi necessitate de licentia praelatorum.

Caput 34.

Item quum sit scriptum: *diligenter agnosce vultum pecoris tui*, statuimus et firmiter praecipimus observari: ut nullus investiatur aliquo beneficio curam animarum habente, nisi natus in terra et ejusdem terrae idiomatis peritus.

Caput 35\*.

In anniversario ducis seu ducissae sive episcopi, in qualibet ecclesia conventuali, missa et vigiliae solemniter cantentur.

Caput 36.

Nullus episcopus in consecratione alicujus ecclesiae debet decimam aliquam, sine assensu sui capituli, dare.

Caput 37.

Quoties archidiaconi parochias visitant, primo plebi sibi subditae impendant spiritualia, praedicationis verba autem explanent, deinde qui ancillas habent, vel alias mu-

\* Ambo Codices adjiciunt inscriptionem: *In anniversario magnatorum et cetera.*

lieres impudicas in suis curiis, quae publice turpitudines suas faciunt, eos caste vivere moneant; quia male consentiunt, qui quum possunt, non prohibent.

### Caput 38.

Laicis decimae non alienentur a propria ecclesia, cui jure debentur. Si ecclesia aliqua eas de manu laicali suscepit, noverit se interdicto, si clericalis persona est, sciat se excommunicationi subjacere. Haec sacra synodus statuit. Simile est nunc statutum in Clementinis, *de decimis* capitulo primo.

### Caput 39.

Ne aliquis clericorum excommunicatus vel suspensus per aliquam curiam magnatum, se volens tueri, in ea audeat suum exercere officium. Sacerdotes, qui in curia magnatum missam celebrant, antequam eam incipient, dicant: si quis excommunicatus est hic recedat, et qui aliquem scit excommunicatum, cum ipso nullam audiat missam.

### Caput 40.

Archidiaconi vel decani suorum subditorum excessus episcopis suis fideliter studeant intimare. Statuimus: ut episcopi ipsi, ad denunciationem suorum archidiaconorum, correctionis officium studiosius impendant in subjectos.

Caput 41.

Ad nostras pervenit aures, quod quidam seculares iudices, praetextu reconventionis, clericos judicare praesumunt; quod omnibus modis inhibemus.

Caput 42.

Audivimus etiam de decimis fraudandis et de manipulis proiciendis a festo beati Jacobi, quod pro injuria reputantes, pati nolumus, sed jure quo praedecessores nostri ab antiquo sunt usitati, uti volumus.

Caput 43.

Etiam notuit nobis, quod quidam laici temeritate propria, irrequisitis nobis et invitis plebanis ecclesiarum, altaria construere vel alia loca sub altaris specie ornare praesumunt, ut ad eas speciales oblationes offerantur, quas, ut dicunt, ad opus ecclesiae destinandas, pro sua voluntatis arbitrio dispensare non verentur, in plebanorum non modicum prejudicium et gravamen. Nolentes igitur sustinere, ut humani generis inimicus ipsorum animas, hujusmodi occasione excessus, inextricabili laqueo valeat irretire, praecipimus: ut in quacumque ecclesia altaria vel alia loca hujuscemodi sint constructa, si post primam aut secundam admonitionem constructores eorum ea neglexerint amovere, sacerdotes ea nostra auctoritate amoveant, vel a divinis abstineant, donec ammoveantur.

**2. Literae Jacobi archiepiscopi Gneznensis ad epis-  
copum Wratislaviensem a. 1297.**

Venerabili in Christo patri, domino Iacobo, episcopo Wratislaviensi, fratri in Christo carissimo, ac honorabilibus viris, dominis, praeposito, decano totique capitulo Wratislaviensi Iacobus, miseratione Divina, sanctae Gneznensis ecclesiae archiepiscopus salutem et fraternalm in Domino charitatem. Constitutionem novam nuper in synodo praeterita per nos de conniventia et approbatione fratribus nostrorum, dominorum, Wratislaviensis, Poznaniensis, Lubucensis et Plocensis episcoporum, nec non nunciorum ipsorum, (sic) domine episcope, editam, facientem pro morte domini B., felicis recordationis praepositi Opoliensis, insertam hic de verbo ad verbum vobis duximus transmittendam: Praeterea animarum saluti prospicere cupientes, et servitorum ipsorum ac amicorum pauperum indigentiis providere, desolatosque per mortem ipsorum aliqualiter consolari, concedimus de gratia speciali, et deinceps servandum praesenti constitutione sancimus: ut quum quis de clero decesserit, illius anni proventus, pro debitis ipsius et aliis piis causis et exequiis, per illius anni circulum faciendis, per eum quem ad hoc executorem elegerit, aut si, quod absit, intestatus decesserit, si cathedralis aut conventionalis ecclesiae praelatus canonicusque

fuerit, per dioecesanum, si vero ruralis ecclesiae rector vel alius quicumque clericus extiterit, per decanum ipsius, sub testimonio archidiaconi, pro salute ipsius animae convertantur, deductis proventibus, unde vicarius valeat in ecclesia sustentari; annum autem a tempore Circumcisionis Domini, prout tenet ecclesiam, intelligimus computandum, rogantes et salubriter exorantes, quatenus ad hanc piam constitutionem vos tenere firmiter beatatis. Edita est haec constitutio Anno Domini M.CC.XCVII. \*

\* Praeter has ab Iacobo archiepiscopo editas constitutiones, invenimus in Codd. nostris adnotatum, Iacobum fuisse auctorem aliae cujusdam constitutionis de captivitate episcoporum et aliorum clericorum. Adnotationem hanc hoc loco duximus apponendam. Est autem his verbis concepta:

«De his autem, qui pontifices, praelatos aliosve canonicos ceterosque clericos capiunt, vulnerant et occidunt, venerabilium patrum Fulconis et Iacobi archiepiscoporum Gneznensium remedium accedat, sub hujus modi verbis: Quod si episcopum capi contigerit, vulnerari vel occidi, generale interdictum in tota provincia observetur. In alio praelato vel canonico cathedralis ecclesiae, si praedicta fuerint perpetrata, in tota dioecesi generaliter cessabunt a divinis. Si vero circa plebanum vel aliam personam ecclesiasticam, religiosam vel secularem similia fuerint attentata, in toto archipresbyteratu. Si vero ipsum archipresbyterum praedictas injurias pati contigerit et ad locum aliquem deduci, locus in quo capitur et in quo detinetur, subjaceret debet ipso facto ecclesiastico interdicto. His quoque domini Guidonis Cardinalis legati similis constitutio suffragatur, quae in principio hujus libri est conscripta.»

etiam sollicitudine in predictisque umbrae etiamque  
ad ipsius auctoritatem non esse proutum arbitramur quod  
fratres aliquotem inter fratres sacerdotum intercedere non  
est eis voluntate. Ita ut si apud nos in utilitate vel  
tempore momenti in communione fratrum intercessio offe-  
ratur fratres alibetmodo sacerdotem non emittantur alii  
non habent rationem. Namibet enim ex hac organicae  
fidei causa etiammodum sacerdos non est in qua est ut  
cum suppeditante ihesu christo et deo trinitate idem

## VII. JANISLAUS ARCHIEPISCOPUS GNEZ- NENSIS.

### Synodus Uniejoviensis a. 1326.

Janislaus, Divina et Apostolicae Sedis providentia, sanc-  
tae Gneznensis ecclesiae archiepiscopus, ad perpetuam  
memoriam. Humanae conditionis effrenis cupiditas, quam-  
quam Profetarum ac sanctorum Patrum legibus, non tam  
mirifice quam provide, divinitus promulgatis, sub aequi-  
tatis et justitiae regula sit constricta, ad pejora tamen  
semper proclivior, vitiorum fomentis, veluti vitis inutilis  
et acerba ultro citroque radicibus circumducta, palmites  
suae cupiditatis in altum lateque protendere molitur ad  
vetita, nisi severitatis et animadversionis sarculo praecida-  
tur. Ideoque in partem sollicitudinis licet immeriti, Deo  
propitio vocati, assidua meditatione urgemos et curis

innumeris angimur supramodum, ut juxta creditae nobis dispensationis officium una cum fratribus nostris, qui utique nobiscum pastoralis solertiae onera efficaciter partuntur, subditorum commodis et quieti quantum nobis ex alto concessum extiterit intendamus; in ipsorum etenim quiete quiescimus, pace letamur, scandalis atterimur et impedimento permaxime impeditur. Propter quod censuimus expedire, ne absque medicamentis novis, novi morbi pestiferi ac graves hujuscemodi intumescant, contra hujuscemodi inordinatos et noxios appetitus aliqua, sub brevitate, ad correctionem morum et quietem subditorum, per quae humana coercentur audacia, et tuta sit inter improbos innocentia, quodque metu poenae mali, et boni meliores spe praemiorum efficiantur, communi necessitate et utilitate suadentibus, de consilio et consensu venerabilium fratrum nostrorum, videlicet, Nankeri Cracoviensis, Floriani Plocensis, Mathiae Wladislaviensis et Iohannis Poznaniensis episcoporum provincialium et nunciorum, ac procuratorum Wratislaviensis et Lubucensis capitulorum, totiusque synodi approbatione, in Unejovia, sub anno Domini Millesimo CCC. XXVI, vice-simo sexto, XI Kalendas martis, per nos cum eisdem fratribus celebratae duximus statuenda.

**Caput 1.**

*De vita et honestate clericorum.*

Quum divinis cultibus mancipandi tales esse debeant,

qui digne possint curare Dominica Sacra menta, ideoque statuimus et hortamur in Domino: ut clerici a vita vulgari seclusi, a mundi voluptatibus et deliciis lubricis, crapula et ebrietate prorsus abstineant; non spectaculis, non pompis intersint; joculatoribus, histrionibus, goliardis et buffonibus non intendant, nulla que eis, sub poena excommunicationis, dona tribuant; turpium lucrorum occupations fraudisque cuiusvis studium non appetant; amorem pecuniae, quasi cunctorum materiam criminum fugiant; secularia officia et negotia abnuant; honoris gradum per ambitionem non quaerant, et se in officiis ecclesiasticis et aliis bonis studiis exerceant diligenter; doctrinae, lectionibus, psalmis, hymnis, canticis et aliis divinis laudibus jugiter incumbant; pro beneficiis medicinae Dei munera non capiant; dolos et conjurationes caveant; odium, emulationes, obtrectationem atque invidiam fugiant; non vagis oculis, unde qualitas cordis designatur, non petulanti fluidoque gressu incendant, sed verecundiam ac pudorem mentis simplici habitu, pudicoque incessu ostentent; non lingua effreni vocibus perstrepent, sed mitissima verborum prolatione utantur; coronam, tonsuram et vestes deferant suo proposito congruentes; seminarum suspectarum frequentationes et cohabitationes fugiant, castitatem quoque inviolati corporis perpetuo conservare custodiant, solcite satagentes, ut in se ostentent splendorem pietatis, ac virtutum gratiam renitentem, per quod bene vivendi doctrinam populis administrent.

Caput 2.

*Qui impedit homines transeuntes ad bona ecclesiae de bonis militum, excommunicatus ipso facto.*

Licet sacrorum Canonum provisione utiliter sit statutum, quod omnes, qui contra libertatem ecclesiasticam, vel utilitatem ecclesiae aliqua praesumunt condere statuta, excommunicationis sint ipso facto sententia innodati, tamen quia nihil prodest esse jura in civitate, nisi sit qui ea tueatur, statuimus: ut quicumque juxta statutum, quod ex pravitate potius, quam ex aequitate in terris Poloniae introductum est, homines liberae conditionis, de bonis quibuscumque ad bona ecclesiae transire volentes, bonis eorum spoliare, aut aliqualiter praesumpserit impedire, tum ipso facto excommunicatus existat. Si commonitus ablata, quae abstulit, non restituerit, vel ab impedimento hujusmodi cessare noluerit infra certum terminum, sibi per dioecesanum episcopum statuendum, excommunicatus publice, auctoritate ejusdem dioecesani, tamdiu debeat nunciari, donec ablata restituat, et ab impedimento quod praestitit resipiscat.

Caput 3.

*De constitutione procuratoris in seculari judicio.*

Quamvis in omnibus causis peragendis et negotiis procurator, legitime constitutus, personam sui domini representet, tamen potestates et judices seculares in causis, quarum cognitio ad ipsos pertinet, praelatorum ecclesiae et

aliarum personarum ecclesiasticarum ac ipsarum ecclesiarum, capitulorum, collegiorum, conventuum seu monasteriorum procuratores, per literas authenticas sufficientissime constitutos, agere coram ipsis vel defendere non admittunt, juris beneficium et defensionis copiam praedictis omnibus injuste et indebite afferentes, et nihilominus principales personas, talium procuratorum praesentia, defensione seu contradictione non obstantibus, pronunciant contumaces, pro qua contumacia hujusmodi interdum condemnant, vel absolvunt hos, contra quos fuerat actio dirigenda. Nos itaque talibus abusibus viam paecludere cipientes, statuimus: quod quicumque potestates seu judices seculares, procuratoribus modo superius praetacto constitutis non admissis, in causis de quibus cognoscere possunt, in praejudicium dictorum ecclesiae paelatorum aut ecclesiarum personarumque ecclesiasticarum, capitulorum, collegiorum, conventuum seu monasteriorum, deinceps processerint, ad damna et interesse juramento ejus, cui injuriam fecerint declarando, virtute praesentis constitutio-  
nis teneantur; de quibus nisi infra mensem satisfecerint ex integro, majoris excommunicationis sententiae subja-  
ceant ipso facto; et sententia, si quam protulerint, sit irrita et inanis, quum contumax dici non possit, qui per procu-  
rаторem sufficientem in judicio comparuit ut debebat. Is autem, pro quo lata fuerit hujusmodi sententia, si senten-  
tia dici potest, si ea uti voluerit, res sibi sic adjudica-  
tas occupando, excommunicationis sententiae se noverit.

subjacere, donec ab hujusmodi occupatione temeraria resipiscat.

**Caput 4.**

*Ne judices secularium principum homines de bonis ecclesiae ad sua judicia protrahant.*

Quia nonnulli seculares judices, terminos propriae jurisdictionis transgredientes, nec advertentes, quod nemo debet falcem suam in messem mittere alienam, homines degentes in bonis ecclesiae, in praejudicu ipsarum ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum, ad sua judicia protrahere, et poenam nisi paruerint infligere non verentur, ideoque censuimus statuendum: quod secularium principum judices, procuratores seu officiales quicumque habitantes in bonis ecclesiarum ad sua judicia nullatenus protrahant, seu judicent invitatos, aut poenas ex causa quamcumque infligant eisdem, sententiam majoris excommunicationis, si secus praesumpserint, ipso facto, nisi ab his cum effectu destiterint, et infra unius mensis spatium sic exacta restituerint, incursuri; quod ad eos, qui ipsos protrahi seu citari procuraverint duximus extendendum, sententiaeque eorum, si quas protulerint viribus non subsistant. Quod si habitatores predictos captivaverint, ut eorum parerent judicio, locus in quo tenebuntur ecclesiastico tamdiu, donec illos de ipsa captivitate dimiserint, subjaceat interdicto.

Caput 5.

*De limitatione in villis ecclesiae.*

Quia per experientiam, quae est rerum magistra, veraciter didicimus, quod plerique iniqui salutis propriae oblii, avaritiae cecitate, vel gulæ fervore, aut alias gratia, favore, odio, pretio vel timore seducti, veteres limites seu terminos et praecipue in bonis, possessionibus seu hereditatibus ecclesiae in suarum animarum detrimentum supprimunt, et alios novos, non sine salutis suae periculo, mendaciter consingere non formidant, nos huic pesti in quantum possumus occurrere cupientes, praesentis approbatione concilii statuimus: ut quicumque de cetero veteres limites seu terminos, et maxime bonorum seu possessionum ecclesiae, destruere, aut novos consingere, vel sic confictis uti praesumpserit, ipso facto excommunicatus existat, nec ab excommunicatione hujusmodi debeat absolviri, donec sic nequiter facta, quantum in eo fuerit, revocet, et hac occasione occupata, restitutione debita, corrigat et emendet.

Caput 6.

*Ut officialis secularis non exigat exactiones in villis ecclesiae.*

Statuimus, ne potestates seculares aut officiales vel justitiarii, quocumque nomine censeantur, per se, vel per alios, hominibus degentibus in bonis ecclesiae talias, exactiones in pecuniis, pecoribus, pecudibus, seu frumen-

tis, et alia onera seu gravamina, utpote in aedificatione castrorum vel civitatum, contra libertatem ipsius ecclesiae et jura canonica imponant, aut imposta exigant ab eisdem; alioquin contra facientes, eo ipso, praesentis concilii approbatione, majoris excommunicationis vinculo innodamus.

Caput 7.

*Ne stationes faciantur in bonis ecclesiae.*

Quum ad ministrorum ecclesiae sustentationem et subventionem egenorum sint proventus et res ecclesiasticae deputatae, prohibemus: ut nulli cum turba vel exercitu in bonis et villis ecclesiae, quae utique absque gravi dispendio ecclesiarum et inibi habitantium destructione non modica nequaquam fieri possunt, faciant stationes. Alioquin principales personae turbarum et exercituum praedictorum, ipso facto sententiam majoris excommunicationis incurvant, et loca, civitates, castra, districtus et opida quibus praesunt, tamdiu donec satisficerint, ecclesiastico subjaceant interdicto.

Caput 8.

*Qui impendunt consilium, auxilium, favorem in damnum et contra libertatem ecclesiae.*

Quum facientes et consentientes par beat poena constringere, et hos qui consilium, auxilium vel favorem aliquibus impendunt, eis non sit dubium consentire, statui-

mus, et sub anathematis interminatione, firmiter prohibemus, ne aliqui clerici et personae ecclesiasticae aut etiam laici secularibus principibus, seu potestatibus, aut aliis quibuscumque consilium, auxilium et favorem impendant, in damnum vel contra libertatem ecclesiae, per se vel per alium, publice vel occulte. Si quis vero obstinatione damnali id facere praesumpserit, excommunicationis sententiam incurrat, ad damna et interesse, quae ab hujusmodi consilio, auxilio vel favore ecclesia pertulerit, ipsi ecclesiae teneatur, de quibus, nisi infra duos menses iidem clerici satisfecerint, ecclesiasticis beneficiis, si quae obtineant, eo ipso privati sint et inhabiles ad alia assequenda; laici autem tamdiu sint et maneant et denuncientur publice excommunicati, donec de praedictis satisfactionem congruam impendant. Porro, quia advocatos suis clientulis consilium impendere dubium non existit, huic constitutioni adjicimus: quod nulli advocati clericorum et laici causas manifeste injustas praesumant accipere contra ecclesiastas, vel cuiquam patrocinium exhibere; quod si secus fecerint, sint excommunicati ipso facto.

### Caput 9.

#### *Ne clerici clericos ad judicium trahant seculare.*

Quamvis per sacrorum Canonum instituta sit provide et salubriter institutum, quod clericus clericum ad judicium non debeat protrahere seculare, alioquin in causa criminali locum suum amittat, in civili vero causam perdat, si

locum suum maluerit obtinere; quia tamen solet plus timeri, quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, statuimus et irrefragabiliter observari mandamus: ut nullus clericus clericum cujuscumque conditionis aut status existat, in qualicumque causa criminali vel civili, super rebus mobilibus vel immobilibus, quas clericus conventus ab ecclesia possidet, ad judicium seculare trahere seu citare praesumat. Si quis autem ausu temerario hoc facere praesumpserit, tamquam proprii et clericalis honoris persecutor, ac judicii ecclesiastici improbus contemptor, ultra poenas praedictas a canonibus inficias, excommunicationis sententiae ipso facto se noverit subjacere. Simili poena excommunicationis omnes clericos et laicos decernimus constringi, qui hominem ecclesiae coram dicto seculari judicio praesumpserint, contempto ecclesiastico judice, convenire; quum res et homines seu mancipia clericorum eodem fori privilegio gaudeant, quo gaudere ipsi clericis dignoscuntur.

Caput 10.

*De rebus ablatis clericorum decentium sive vivorum.*

Quum bona decentium clericorum in usus ecclesiae seu ecclesiarum, quarum fuerint ipsi clericis, converti vel futuris successoribus de jure debeant reservari, decrevimus statuendo: quod nullus patronus, clericus vel laicus, aut quisvis alius res, seu bona rectorum ecclesiarum, seu quorumlibet clericorum vivorum aut decentium occu-

pare, rapere vel in usus suos convertere praesumat; qui autem id coeca cupiditate repertus fuerit peregisse, excommunicationis vinculo ipso facto se noverit innodatum.

### Caput 11.

*De ablatis clericorum rebus vel ecclesiarum, seu in bonis habitantium eorundem.*

Statuimus: ut locus ad quem clericorum vel ecclesiarum res seu habitantium in bonis et in villis eorundem, ablatae seu acceptae per violentiam deducentur, donec sic ablata restituantur, vel satisfactum fuerit de iisdem, ecclesiastico subjaceat interdicto; quod si inibi ecclesia non fuerit, tunc illa in qua damnum dedit hujusmodi, jus patronatus obtinens, usque ad satisfactionem condignam remaneat interdicta.

### Caput 12.

*Ut excommunicatus in una ecclesia habeatur in omnibus pro excommunicato.*

Quum is, qui potest suo vicino vel proximo, pro sua repellenda injuria, suum auxilium impertiri, si id non faciat, praecipue ab ipso requisitus, videatur injuriantem fovere, ac esse particeps ejus culpe, et excommunicatus in una ecclesia, et in aliis ecclesiis pro excommunicato debeat haberi, quum sit una ecclesia per orbem diffusa, statuimus: ut si nos, aut aliquis fratrum, seu episcoporum, aut suffraga-

neorum nostrorum quempiam, etiam in alia dioecesi constitutum, pro suis excessibus, pro defensione jurium suae ecclesiae, servato juris ordine, canonica monitione praemissa, auctoritate ordinaria, aut delegata, seu laudi virtute, excommunicationis sententia duximus innodandum, vel locum illius excommunicati, qui fuerit culpabilis, supposimus ecclesiastico interdicto; quivis episcopi et praecipue ille, in cuius dioecesi excommunicatus commoratur, eum pro excommunicato habere debeant, et ad requisitionem excommunicatoris, ipsum faciant in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus, per suos subditos, excommunicatum publice nunciari, et usque ad satisfactionem condignam, a Christi fidelibus in participatione qualibet evitari, ipsique subditi id teneantur exequi diligenter; quod si quisquam in his exequendis negligens repertus fuerit aut remissus, episcopi suspensionis ab ingressu ecclesiae, eorum vero subditi excommunicationis incurvant sententias ipso facto.

Caput 13.

*De judice excommunicato.*

Quum juxta sacrorum Canonum statuta, non liceat alicui cum excommunicato loqui, nisi quae ad eandem excommunicationem pertinent, aut vesci; alias si quis cum eo palam aut absconde fuerit locutus, statim cum eo communem, id est minorem excommunicationis contrahit poenam, statuimus: ut nullus excommunicatus judicare,

aut actor coram excommunicato judice agere, vel reus respondere quoquo modo praesumat, et judex secularis in curiis ac judiciis quibuscumque, excommunicatos ab agendo, patrocinando et testificando repellere teneatur. Quod si quispiam judex excommunicatus judicare prae-  
sumperit, ad arbitrium excommunicatoris poena debita mulctetur, ecclesiae cuius claves contempsit persolvenda. Judex vero non excommunicatus qui excommunicatum actorem ad agendum, patronum ad procurandum, et testem ad testificandum scienter admiserit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

#### Caput 14.

##### *De his qui in sententia lata diu durant.*

Quia quorundam perversorum, claves ecclesiae contemnentium, in tantum excrevit temeritas, ut per eorum obstinatam malitiam ecclesiae videatur auctoritas vilipendi, quum excommunicationis sententiam in se, pro manifestis et notoriis causis rationabiliter prolatam, in suarum animalium periculum et scandalum, animo sustinent pertinaci, non attendentes, quod tanto sunt graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam; propter quod huic morbo necessariam, quantum possumus, volentes adhibere medelam, statuimus: quod quicumque excommunicationis sententiam ex justa causa modo praedicto in se prolatam, infra spatium sex mensium, a die prolatae in eum sententiae computandum, animo sustinuerit

indurato, ad arbitrium excommunicatoris pro hujusmodi pertinacia puniatur. Si vero in ea infra spatum unius anni, obstinatione damnabili praesumpserit perdurare, anno elapso dominus ipsius temporalis, sive supremus sive hereditarius, bona ejus mobilia et immobilia teneatur confiscare, ea in usus proprios convertendo; quod si dominus ipse in his exequendis negligens inventus fuerit aut remissus, ad id exequendum, per loci dioecesanum, censura ecclesiastica compellatur.

### Caput 15.

#### *De ludo larvatorum.*

Quoniam sicut ad deceptionem nonnunquam angelus sathanae in lucis Angelum transformatur, sic profecto ad defuscationem imaginis paterna, spiritus creaturae rationalis, in qua divinae operationis effigies, per gratiam dignoscitur elucere, assumere censemur formas spirituum immundorum, statuimus ergo: ut nulli omnino clerici vel laici induiti monstris larvarum, ecclesias vel coemeteria ipsarum ingredi praesumant, praesertim dum in illis divina officia peragantur, quum per hujusmodi ludibriorum spectacula et servor devotionis tepescat, et honestas ecclesiae et decor clericalis ordinis inquinetur; decernentes, clericos quoslibet et laicos monstruosas et detestabiles imagines hujusmodi deferentes, ipso facto, excommunicationis sententiae subjacere, ab illa, donec poenituerinti,

nullatenus absolvendos. Adjicimus insuper: quod clerici vel laici ludos superstitionis, juxta quorundam locorum abusum, in processionibus ecclesiarum exercentes, eo ipso poena simili sint constricti.

**Caput 16.**

*De occupatione decimarum.*

Veteris Testamenti serie ac sacrorum Canonum sanctioribus attestantibus, Deus in signum universalis dominii sibi decimam reddi praecepit, suas esse decimas ac primicias asseverans, atque monens et praecipiens, ut deferantur decimae in horrea sua, hoc est in thesauros templi, ut habeant sacerdotes atque levitae, qui sibi ministrant, cibos, non sibi sed nobis sine dubio profuturos; hoc tamen quidam principes, seu capitanei, seu procuratores, ac officiales eorum, et alii milites et temporales domini minime attendentes, decimas ecclesiis ac ministris ecclesiarum debitas, Dei timore postposito, occupant, aut per suos subditos occupari mandant et mandari procurant, et alii etiam impedimentum praestant, ne clerici aut procuratores eorum decimas sibi debitas, pro sua voluntate, cui maluerint, vendere valeant, eas in suis villis locare ac per homines suos, qui ad eas dandas tenentur, conduci indebite prohibentes. Hujusmodi igitur temerariisabusus adhibere medelam quam possumus cupientes, statuimus et prohibemus: ne aliqui principes qualicumque di-

gnitate vel honoris praerogativa praefulgent, ac capitanei et procuratores seu officiales eorum, vel milites, et qui cumque domini temporales decimas de cetero occupent seu occupari mandent, vel liberam venditionem decimorum impedian, aut eas in suis villis locari, vel per suos homines duci prohibere praesumant. Quod si aliqui deinceps praedicta, vel aliquid eorum, praesumpserint attentare, excommunicationis incurvant sententiam ipso facto. Nihilominus, terrae, civitates et districtus hujusmodi principum, et quibus praesunt capitanei et officiales praedicti, opida quoque et villae militum, et aliorum temporalium dominorum, si hujusmodi excessus infra spatium unius mensis non curaverint emendare, ab hujusmodi impedimentis desistendo, ipso facto ecclesiastico subjeant interdicto.

**Caput 17.**

*De decima danda in pluralitate heredum.*

Quum jus ecclesiasticum, et praecipue solutio decimorum Deo debita, quas Ipse clericis exhibendas pro suo cultu concessit, diminui non debeat qualibet malitia seu fraude excogitata, sed potius augmentari, ne officium divini cultus, propter quod beneficium ecclesiasticum, et decimae ipsae dantur omittatur, statuimus: ut si milites seu heredes aut temporales domini aliquarum possessio-  
num, quorum majores libere ad quam volebant ecclesiam

decimam solvebant, ex privilegio militari multiplicari contingat, senior aut unus eorum eam libere solvat, alii-que omnes et singuli ecclesiae seu praebendae, cui deci-  
ma illius hereditatis seu possessionis adscripta est, ipsam solvere teneantur, ne si quis earum eam libere solveret, jus ecclesiae seu praebendae ipsius ad cultum divinum propter hoc contingeret absorbere. Adjicimus insuper: quod milites seu heredes hujusmodi, quibus privilegium hoc competit, dent ipsi ecclesiae decimam, tali videlicet, in quam cadit perceptio decimarum, nihil de ea suis usi-  
bus applicando. Quod si quispiam repertus fuerit, aliquid de ipsa pro se recepisse fraudulenter, privilegium per-  
dat, quum privilegium mereatur amittere, qui permissa si-  
bi abutitur potestate. Porro si acciderit, quod possessio  
sive hereditas, quam miles tenebat, decimam libere solven-  
do, inferioris personae, titulo emptionis, venditionis, per-  
mutationis, donationis seu quocumque alio, in dominium per-  
veniret, persona hujusmodi decimam solvat ecclesiae seu  
praebendae, cui ipsius hereditatis seu possessionis deci-  
ma est adscripta. E contra vero, si miles aliquis, gaudens  
privilegio hujusmodi militari, possessionem seu hereditatem  
aliquam, in qua personae inferiores residebant, decimam ecclesiae seu praebendae alicui ex debito solvendo, titulo-  
rum praedictorum aliquo assequatur, decimam illuc tene-  
atur solvere, ubi eam personae hujusmodi hactenus per-  
solverunt; quum res transire cum suo onere dignoscan-  
tur.

*Caput 18.*

*Ne beneficia ecclesiastica conferantur alienigenis, et magistris scholarum non assumantur ad regimen, nisi linguam polonicam sciant.*

Praecipimus: quod statutum felicis recordationis domini Jacobi, quondam Gneznensis nostri praedecessoris, de non recipiendis alienigenis in provincia Poloniae ad beneficia ecclesiarum, curam animarum habentia, et magistris ad regimen scholarum non assumendis, nisi linguam polonicam sciant, quum inibi se nequeant utiliter exercere, ab omnibus inviolabiliter observetur; alioquin ad quos institutio seu dispositio pertinet eorundem, si contra venerint, ingressum ecclesiae fore sibi noverint interdictum.

*Caput 19.*

*De ebrietate abstinenda.*

Quum inter opera tenebrarum Apostolus ebrietatem commemorans, ab illa, quae utique omne bonum opus dissolvit mentisque inducit exilium, ac libidinis provocat incentivum, filios lucis praecipiat abstinere, ideoque statuimus: ut omnes Christi fideles, clerici et laici, praesertim in sacris ordinibus constituti, a crapula et ebrietate abstineant diligenter, nec tabernas absque causa rationabili frequentare, aut ad aequales potus quemquam invitare vel potius incitare, aut se obligare praesumant. Alioquin si secus egerint, si clerici sint, et ex ebrietate hujus modi fecerint, quae non convenient honestati modestiae

clericis, per superiorem, ad quem pertinet talium correctio, poena trium marcarum usualis pecuniae multentur, et nihilominus poenis aliis spiritualibus, prout facti qualitas suaserit, castigentur; qui si non fuerint in solvendo, in certo loco per unum mensem ad peragendam poenitentiam detrudantur; laicis vero in foro poenitentiae pro hujusmodi inordinata iugluvie injungatur poenitentia salutaris. Super quo, confessiones audientium conscientias oneramus.

### Caput 20.

### *De apostatis.*

Prohibemus ne apostatae vel cujusvis religionis professores habitum sui ordinis immutantes, quum ex eo excommunicationis sententiam dignoscantur contraxisse, ad ecclesias regendas vel earum vicarias aliquatenus admittantur.

### Caput 21.

### *De visitatione.*

Ad nostram audientiam ex insinuatione clamorosa pervenit, quod nonnulli ecclesiarum praelati, et aliae personae ecclesiasticae, ad quas de jure vel de consuetudine officium visitationis dignoscitur pertinere, suae cupiditatis laxantes habenas, a locis visitatis prourationem sumptuosam, per quam victus longi temporis brevi hora consumitur, vel pro ipsa prouratione pecuniam a nolenti-

bus, et a locis non visitatis procuracyem nullo modo eis debitam, dumque plura loca una die visitaverunt, plures procurations, quum eis unica et sola pro die illa, in qua spiritualia seminaverunt, tantummodo debeatur, petere et exigere non verentur, contra sacrorum Canonum sanctiones; quae si ad votum eorum praestita non fuerint, contra personas ecclesiasticas et ecclesias et loca alias sententias injuste fulminant et promulgant. Nos hujusmodi ausis temerariis viam paecludere cupientes, quamvis eo ipso poenas inciderint a jure inflictas, sententias quas ob hoc protulerint, approbatione praesentis concilii fore decrevimus irritas et inanes.

**Caput 21.**

*De compaternitate clericorum.*

Quum per compaternitatem, quae plerumque per importunitatem potentium et praecipue potentum a clericis extorquentur, res ecclesiae inaniter diminui et contingat inutiliter expendi, quae potius ad utilitatem ecclesiae converti, aut ex eis pauperum deberet necessitatibus provideri, statuimus, et sub poena excommunicationis firmiter prohibemus: quod nullus clericus cujuscumque gradus, conditionis aut status existat, compater cujuspam, nisi regibus et principibus, de cetero fieri praesumat; predicta poena, et alias ad arbitrium sui superioris, si contrarium facere praesumpserit, puniendus.

**Caput 22.**

*Ne praedia seu possessiones ecclesiae alienentur.*

Quia res ecclesiae et praecipue praedia seu possessio-  
nes absque solemnitate debita, in sacris Canonibus consti-  
tuta, alienari neque debent neque possunt; praesentis ap-  
probatione concilii statuimus: quod nullus clericus secula-  
ris vel regularis, et praecipue abbas, seu praepositus ali-  
qua praedia seu possessiones suae ecclesiae seu monasterii  
absque consensu dioecesani, et maxime in personam laici,  
quocumque titulo alienare praesumat. Quod si praesump-  
tione damnabili hoc fecerit, factum suum irritum et nul-  
lius momenti habeatur; ipse vero tamquam Domini vi-  
neae cultor inutilis, ab administratione sua, quam sic  
nequierer gessit, suis exigentibus demeritis debeat amove-  
ri, aliasque in locum ejus, qui utilius gerat negotia eccle-  
siae, per eos ad quos spectat electio, eligatur; concessa ve-  
ro per eos vel eorum praedecessores a personis laicis,  
infra annum, sub poena praemissa, cum effectu, quantum  
in eis fuerit, studeant revocare.

**Caput 23.**

*De decima scultetorum.*

Quum turpis sit pars, quae suo non congruit universo,  
etiam quidam sculteti, vicinis seu villanis eorum in ea-  
dem villa decimas absque contradictione solventibus, ip-  
si eas nihilominus solvere contradicunt, statuimus ergo:  
quod sculteti hujusmodi suis vicinis seu villanis aequales

1326  
Januslava

esse debeant in solutione decimarum, nisi sint muniti  
privilegio speciali; quod si rationabiliter eis concessum  
extiterit, inviolabiliter observetur.

**Caput 24.**

*De transgressione constitutionis.*  
Statuimus: quod violatores et transgressores harum  
constitutionum, vel hi qui ad requisitionem pastorum,  
dum de hoc constiterit, ipsas exequi contempserint,  
aut non curaverint, poena synodali, quam trium mar-  
carum et excommunicationis ferendae, fore, praesentis  
approbatione concilii declaramus, per suos superiores  
puniantur; quas in omnibus ecclesiis nostrae provinciae  
cathedralibus, collegiatis et aliis quibuscumque, infra sex  
mensium spatium, parietibus affigi praecipimus, ne praetextu  
ignorantiae, ab observatione earum quispiam valeat  
excusari. Et nos hanc poenam etiam ad privationem  
beneficii duximus extendendam.

**Caput 25.**

*De decimis scutellis.*

Quam turpissit pars, dirige suo non constitutum universo  
clericis decimus scutellum, actione seu aliquius corrum in es-  
tate, alias decimis spadea conundicione, solvuntur, q[ui]  
est esse stipendiaria servatae constructione, aliquibus etiam  
deorum scutelloi puniuntur, suis viciniis eon aliquinis sodisque

## VIII. JAROSLAUS ARCHIEPISCOPUS GNEZ- NENSIS.

## Synodus Calisiensis a. 1357 \*.

Jaroslaut de Bogoria, Divina providentia, sanctae Gnezzensis ecclesiae archiepiscopus ad perpetuam rei memoriam. Quamvis debeat sufficere humanae naturae ad bene vivendum, si suis terminis sit contenta, crescente tamen malitia hominum, effrenata cupiditas, radix omnium malorum, semper nititur ad vetita, tendit ad noxia et declinat ad prohibita, palmites suae propaginis vitiosae ad deteriora quaelibet extendendo. Haec est illa, quae compellit canones condere, leges instituere, statuta edere, ut humani generis coercentur audacia, et appetitus noxii sub juris regula limitentur. Quia vero nostris temporibus surrexerunt contra ecclesias et personas ecclesiasticas plu-

\* Synodum Calisiensem edidit jam in *Gazeta Kościelna* a. 1847, e codice capituli Poznaniensis, reverendissimus Jabczyński, Canonicus Poznaniensis.

rima incommoda, parientia pericula animarum, nos jugi meditatione revolvimus in armario cordis nostri, qualiter ex officii nostri debito hujusmodi incommodis et animarum periculis, Deo propitio, occurrere valeamus. Nunc ergo oportunitate captata, de consilio et consensu venerabilium fratrum nostrorum Bodzanthae Cracoviensis, Mathiae Wladislaviensis, Clementis Plocensis, et Joannis Poznaniensis, ac capitulorum suorum et nunciorum, ac procuratorum domini Przeclai Wratislaviensis episcopi et Henrici Lubucensis, synodum in Kalisz, sub anno Domini M.CCC.LVII, 8 die mensis januarii statuimus celebrandam. Habito itaque cum eisdem fratribus nostris comprovincialibus episcopis et cum clero tractatu solemni et consilio permaturo, invocata Spiritus sancti gratia, ad honorem Dei et ecclesiarum commodum decrevimus, aliqua nova statuta non cudere, sed vetera praedecessorum nostrorum piae memoriae Fulconis, Janussii, Jacobi Swincae, Janislai, archiepiscoporum quondam Gneznensis ecclesiae, innovare, et hujus approbatione concilii innovamus, additis nostris declarationibus, quae sequuntur. Decernentes, eadem statuta per nos et per eosdem dominos episcopos debere exequi, quantum in nobis fuerit, quum rerum magistra experientia docuerit, nihil prodesse jura statuere, nisi sit, qui ea tueatur, et per subditos nostraes provinciae sub poenis appositis in eisdem statutis firmiter et inviolabiliter de cetero exequenda. Ne vero praetextu ignorantiae, ab eorum observatione quispiam excusari va-

leat, volumus et mandamus, quatenus fratres nostri episcopi supradicti, et archidiaconi, ac rectores ecclesiarum statutorum et constitutionum ipsarum copias habeant, et in suis dioecesibus, archidiaconi quoque in convocationibus subditorum suorum, relegant et faciant publicari, quas per notarium in hac synodo fecimus recitari.

### Caput 1.

*Ut non intrent chorum nisi superpeliciati.*

Quum domum Domini deceat sanctitudo, jure quoque canonico statutum existat, quod ad ecclesias ingressus esse debeat humilis et devotus, statuimus, ut quivis praelatus, canonicus, altarista, vicarius cathedralis ecclesiae, nisi superpeliciatus extiterit, in eandem ecclesiam ad audiendum divinum officium non audeat introire. Contrarium faciens, incurrit sententiam ipso facto, a decano cathedralis ecclesiae vel vices gerente, recepta poenitentia, absolvendus.

### Caput 2.

*De residentia facienda apud cathedrales ecclesias.*

Quum juxta sacrorum Canonum instituta, clerici beneficiati teneantur apud suas ecclesias residere, praesenti statuto decrevimus: ut praelati et canonici ecclesiarum cathedralis ecclesias, in quibus beneficia obtinent, cum infrascripti temporis moderamine, praelatus quilibet infra mensem ad minus cum quatuor canonicis, quorum duo,

duabus septimanis, et alii duo aliis duabus septimanis immediate sequentibus, et sic de singulis apud ipsam cathedralem ecclesiam, personaliter resideant, obsequium eidem ecclesiae debitum in divinis officiis et aliis bonis operibus impendendo, nisi aliquem ab hujusmodi residentia causa legitima excusaret, quam coram Ordinario quanto-  
tius exponere teneatur; quo casu, quod per se implere non poterit, saltem per alium facere sit adstrictus. Residentiam vero hujusmodi continuandam fore consemus a festo Omnis Sanctorum usque ad diem Joannis Baptistae, distinguendo menses et tempora ad residentiam faciendam juxta modum superius annotatum. Contrarium faciens, si praelatus fuerit, duas marcas, si vero canonicus, unam marcam, nomine poenae, pro hujusmodi negligencia solvere teneatur, pro necessitatibus ecclesiae convertendas; quam poenam pecuniariam Ordinarius per censuram ecclesiasticam absque aliqua misericordia beat extorquere.

### Caput 3.

*Ut altaria non conferantur nisi vicariis ejusdem ecclesiae.*

Item statuimus: ut altaria cathedralium ecclesiarum de cetero, nonnisi vicariis ejusdem ecclesiae conferantur, qui possint et velint in eodem altari, juxta ordinationem primariam, divina officia celebrare.

Caput 4.

*Ut post obitum praelati debeant missas et vigilias decantare.*

Quia ecclesiarum cathedralium praelati et canonici confratres in Christo ex approbata consuetudine nuncupantur et ideo, ut ex confraternitate hujusmodi aliquis fructus proveniat animabus, statuimus: ut postquam praelatus vel canonicus cathedralis ecclesiae obierit, superstites praelati et canonici, quum primo obitus defuncti ad eorum notitiam pervenerit, quivis praelatus pro anima praelati principalis, id est archiepiscopi vel episcopi, sex missas cum totidem vigiliis efficere per se vel alium teneantur; canonicus vero pro anima principalis i. e. archiepiscopi vel episcopi, tres missas cum totidem vigiliis, pro anima vero inferioris praelati vel canonici unam, missam cum vigiliis, similiter per se vel per alium, quam cito commode poterit, virtute fraternitatis et statuti hujusmodi dicere sint adstricti: in quo ipsorum conscientias oneramus \*.

\* Cod. Petrop. quibusdam omissis habet solummodo: quivis praelatus pro anima principalis praelati, id est archiepiscopi vel episcopi sex missas, pro anima vero inferioris praelati vel canonici unam missam cum vigiliis, similiter per se vel per alium, quam cito commode poterit, virtute fraternitatis et statuti hujusmodi dicere sint adstricti; in quo ipsorum conscientias oneramus.

Caput 5.

*Ut sacerdos non audeat plures habere una die missas, nisi unam.*

Prohibitum constitutionibus canonicis invenimus, ut nullus sacerdos plures missas debeat dicere una die, excepta solemnitate Nativitatis Domini, et in casibus specialiter reservatis. Quia tamen sacerdotum avaritia, ausu temerario, ut plures oblationes capiant, in diversis ecclesiis praesumunt dicere plures missas, praesenti statuto firmiter prohibemus, quod nullus sacerdos de cetero duas missas una die, nisi ut praemittitur, audeat celebrare. Contrarium faciens, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Adjicientes: ut quam cantare coepit, cantando perficiat, et quam legere coepit, legendō perficere teneatur; neque duas missas in una et eadem ecclesia simul et semel audeat quis cantare.

Caput 6.

*Ut in collegiatis ecclesiis omnes horae canonicae voce cantentur.*

Ordinamus etiam et statuimus: ut deinceps in collegiatis ecclesiis omnes horae canonicae voce, \* sive cantu, per vicarios et servitores ecclesiae, decantentur, ut eo amplior ad ecclesias populi devotio excitetur, quodque in altari majori cuiuslibet ecclesiae cathedralis nonnisi canonicus ejusdem ecclesiae extiterit, missam audeat celebrare.

\*Cod. Petrop. adjicit: cantentur.

**Caput 7.**

*Ut archidiaconi et eorum vicesgerentes non audeant pecunias in subditis ipsorum extorquere.*

Non solum jure canonico, sed etiam constitutionibus et statutis prohibitum fore noscitur, sub poenis gravibus, archidiaconis et aliis jurisdictionem habentibus de consuetudine vel de jure, ac eorundem vices gerentibus, ne a subditis seu ecclesiarum rectoribus, ipsis non visitatis, procurationes pro expensis in pecunia audeant extorquere; quia tamen his non obstantibus, suae cupiditatis laxantes habenas, in his culpabiles et remissi manifeste noscuntur, ordinamus et statuimus: ut de cetero ipsi archidiaconi et alii jurisdictionem habentes vel eorum vices gerentes, videlicet decani rurales, a locis non visitatis et praesertim pro concubinis tenendis publice in statu damnabili, in suarum animarum periculum, non audeant a rectoribus ecclesiarum pecuniam exigere; alioquin contrafacentes, virtute statuti praesentis, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. \*

**Caput 8.**

*Ut in bonis ecclesiae unus scultetus habeatur.*

Experiantia certa \* didicimus, quod ex pluralitate scultetorum frequenter contigit bona ecclesiae desertari, sta-

\* Capitulum sequens, inscriptum: *ut nullus presbyter concubinam palam teat*, quod rev. Jabczyński, inter statuta synodus Kalisiensis refert, nos superius exhibuimus inter statuta ab Jacobo archiopiscopo condita (c. 13, 14).

\* In Cod Petrop. deest: *certa*.

tuimus: ut in bonis ecclesiae quibuscumque unus scultetus duntaxat, qui bona regere valeat, habeatur. Si autem scultetus plures filios habuerit, eo decedente, potior filius ad regendam scultetiam eligatur, qui fratribus juxta taxationem scultetiae de certa pecuniae quantitate, secundum quod quemque pars pecuniae contingit, pecuniam, in certo termino, per dominum villae statuto, solvere sit adstric-tus; alias si in solvendo non fuerit, alteri extraneo, de con-sensu tamen domini, omnes fratres extunc eandem scul-te-tiam, infra spatum unius anni, vendere inexcusabili-ter teneantur.

### Caput 9.

*Ut secreta tractatum debeat inviolabiliter observari.*

Nos Jaroslau de Bogoria, Divina providentia, sanctae Gneznensis ecclesiae archiepiscopus, una cum reverendis fratribus coepiscopis nostris in hac sacra synodo consti-tuti, volentes, ut negotia ecclesiarum nostrarum commo-dius valeant pertractari, sub excommunicationis poena, quam in contrafacentes proferimus, in his scriptis prae-cipimus universis et singulis, cujuscumque status, conditio-nis aut praeminentiae existant, qui ad pertractanda hujusmodi ecclesiarum negotia nobiscum ordinari dignos-cuntur, quatenus secreta tractatum nostrorum inviola-biliter debeat observare, nulli umquam ea nutu, verbo aut facto aliqualiter propalando. Hanc autem decreti et ordinationis nostrae sententiam ita, in ordinandis sacrae

synodi negotiis, volumus observari, ut etiam ad particu-  
larium capitulo rum tractatus extendatur.

Caput 10.

*De excommunicatione facienda super principes et barones.*

Nos Jaroslaus de Bogoria, Divina providentia, archiepi-  
scopus Gneznesis, una cum venerabilibus in Christo fra-  
tribus nostris Bodzantha Cracoviensi, Mathia Wladisla-  
viensi, Clemente Plocensi, et Ioanne Poznaniensi, com-  
provincialibus ecclesiarum episcopis, ac cum procuratori-  
bus fratrum nostrorum Przeclai Wratislaviensis et Hen-  
rici Lubucensis ecclesiarum episcoporum, absentiam  
suam legitime excusantium, nec non cum procurato-  
ribus capitulo rum ecclesiarum cathedralium provinciae  
nostrae, in hac sacra synodo constituti, ad perpetuam  
rei memoriam. Cupientes secularium potestatum auda-  
ciam, quae suis terminis non contenta, contra Dei Ec-  
clesiam et personas ecclesiasticas aut pauperes, degen-  
tes in bonis ecclesiarum suarum, varia gravamina et  
onera importabilia de die in diem excogitat, dirigit  
et protendit, quantum Deo propitio possumus refrenare,  
statuimus, ordinamus et laudamus, ipsa sacra synodo  
approbante: quod si quis princeps seu capitaneus terrae,  
baro aut miles cuiuscumque dignitatis vel honoris extite-  
rit, aut officialis eorum, nobis vel alicui coepiscoporum  
nostrorum provincialium seu ecclesiasticis personis, aut  
pauperibus, degentibus in bonis ecclesiarum damnum, vel

manifestam offensam intulerit, monitusque non emenda-  
verit infra mensem, quod extunc, virtute constitutionis  
praesentis et laudi communis, licitum sit cuilibet nostro-  
rum, in cuius dioecesi injuria vel manifesta offesa fuerit  
irrogata, etiam irrequisito suo capitulo, quum ad hoc  
faciendum dicti procuratores, ad id specialiter constituti,  
nomine capitulorum consensum praebuerint in synodo su-  
predicta, pro hujusmodi injuria et manifesta offesa, pro-  
priam ecclesiam, si in terra ipsius principis injuriantes  
extiterint, sin autem, tunc solum terram seu districtum  
aut locum suaे dioecesis, in quo ipsi injuriantes manse-  
rint, ecclesiastico supponere interdicto; et hoc facto, si  
dominium temporale injuriantis in aliam vicinam dioece-  
sim protendatur, valeat etiam episcopus passus injuriam  
proferre hujusmodi interdictum ecclesiasticum in aliena  
ecclesia cathedrali, civitate, et dioecesi vicina, proposita  
prius et probata summarie coram loci Ordinario manifesta  
offensa, propter quam fuerit ipsum interdictum ecclesiasticum  
proferendum, dummodo eadem dioeceses extite-  
rint unius domini temporalis. Si vero talis injurians ad  
vicinam dioecesim accesserit, licet inibi nulla dominia  
obtineat et ibi moram traxerit aliqualem, extunc liceat  
episcopo passo injuriam de scitu dioecesani, ut praemitti-  
tur, in ipso loco ubi manserit divina officia prohibere,  
quamdiu praefatus injurians inibi fuerit permoratus.  
Itaque episcopus vicinae civitatis et dioecesis, cum suis  
subditis, debebit tenere interdictum, sicut proprium, sub-

poenis canoniciis firmiter et invioabiliter observare, nec ipsum interdictum absque satisfactione praestita competenti quispiam nostrum relaxare poterit, nisi requisito capitulo suae ecclesiae cathedralis, ne perpetrantes tales injurias de sua malitia reportare commodum videantur, ut ecclesia consueta sibi gaudeat libertate.

### Caput 11.

Item statuimus: quod si quando nos vel coepiscopus noster aliquis aliquem suum canonicum, in quacumque dignitate, personatu vel officio constitutum in ecclesiastico vel in seculari, pro suis vel etiam ecclesiae suae expediendis, tractandis, vel consulendis negotiis, per suas duxerit literas aut nuncium advocandum, et ipse ausu temerario hujusmodi mandato aut literis sui superioris contraveniens, absque causa rationabili vel legitimo impedimentoo, quam per suas tenetur literas eidem suo episcopo sic citanti exprimere cum juramento, ipsi episcopo adesse noluerit consiliis et auxiliis opportunis statim, pro hujusmodi contumacia excommunicationis majoris sententia praesentis auctoritate decreti sit ligatus, a qua non prius nisi marcam argenti pro ecclesiae, quam offendit, fabrica exsolvat, ab episcopo suo valeat absolutionis beneficium obtainere.

**Caput 12.**

*Ut sacerdotes et clerici cum malefactoribus nihil audeant  
pertractare.*

Item quum sacerdotis sit nulli nocere, omnibus autem velle prodesse, et non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali Apostolus praecipiat abstinere, statuimus et inviolabiliter praecipimus observari: ut nullus presbyter aut clericus, sive religiosus sit vel secularis, cum maledictis vel perfidis, incendiariis, homicidis aut latronibus aliquid disponere audeat vel pertractare, nullas eis literas praesumat scribere, vel alias ipsorum legationes, concordias vel tractatus perferat, nec eisdem intersit, quum ex hoc ipsorum status et honestas ac totius cleri religio non modicum infametur. Si quis autem huic nostrae constitutioni temerarius extiterit violator, poenam depositionis et privationis beneficii ipso facto incurrat, quam sententiam sic praecipimus a nostris coepiscopis custodi- ri, ut poena unius aliis prodeat in exemplum.

**Caput 13.**

*Ex querela fratrum praedicatorum et minorum ad nostram pervenit audientiam, quod rectores ecclesiarum, eorum privilegio ab Apostolica Sede concesso minus debite detrahentes, poenitentibus et confessis ipsis fratribus et per Ordinarios approbatis denegant sacramentum Eucharistiae ministrare. Propter quod ordinamus et statui- mus: ut de cetero rectores ecclesiarum et eorum vices*

*Groumich  
1889*

gerentes ministrent absque contradictione qualibet Dominici Corporis et Sanguinis sacramenta, fide sibi facta per confessorem. Qui vero contrarium fecerit, eo ipso ab ingressu ecclesiae sit suspensus. Porro si praedictorum ordinum fratres, prout frequenter audivimus, contra constitutionem ecclesiasticam, quae incipit *Dudum*, vel ejus membrum aliquod excesserint, praesentis approbatione concilii excommunicationis poena ejusdem decreti per se exprimetur, et incurvant sententiam ipso facto, a qua nonnisi per Ordinarium, recepta poenitentia salutari, decrevimus absolvendos.

Caput 14.

*De villis et proventibus capituli ecclesiae Gneznensis vacantibus primo anno dividendis.*

De villis seu possessionibus capituli Gneznensis ecclesiae ita de consensu, capituli duximus ordinandum: ut postquam de cetero aliqua villa seu possessio dicti capituli vacaverit, is cui collata fuerit, de fructibus et proventibus universis medietatem percipiet primo anno, et aliam medietatem pro fabrica ejusdem ecclesiae assignabit tamdiu, donec chorus ecclesiae in muris plenarie sit perfectus.

Caput 15.

*De beneficiis curatis post mortem primo anno dividendis.*

Similiter de beneficiis morientium, quae vacabunt si-  
ve in Gneznensi ecclesia, sive extra ipsam ecclesiam, id  
est in dioecesi, medietatem redditum juxta, taxam commu-  
nem, et omnium rerum post mortem remanentium, pro  
reparatione ejusdem ecclesiae primi anni reservamus, et  
aliam medietatem successoribus deputamus \*.

Caput 16.

*De decimis solvendis.*

Praeterea, quod ultimo ponitur, magis memoriae com-  
mendatur, statuimus et volumus inviolabiliter observari:  
quatenus solutio decimorum campestrium in aliam solu-  
tionem minorem, ad suggestionem secularium potestatum  
nullatenus immutetur, et quod nobis licere non cernimus,  
nostris successoribus indicamus.

---

\* Haec duo capitula, scilicet c. 14 et 15, desiderantur in cod. Pozn.

## IX. NICOLAUS ARCHIEPISCOPUS GNEZ- NENSIS.

### Synodus Kalisiensis a. 1406.

In nomine Domini. Amen. Sub anno a Nativitate Ejusdem Millesimo Quadringentesimo Sexto, Indictione XIV, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et domini nostri domini Innocentii Papae septimi anno secundo, die jovis, XX mensis mai, de speciali et expresso mandato ejusdem Domini nostri, nos Nicolaus, Dei gratia, sanctae Gneznensis ecclesiae archiepiscopus, cum reverendis in Christo fratribus et coepiscopis nostris Petro Cracoviensi, Iohanne Wladislaviensi, Jacobo Plocensi, Alberto Poznaniensi, ac reverendorum fratrum nostrorum Wenceslai Wratislaviensis et Johannis Lubucensis episcoporum ac capitulorum suorum nunciis et procuratoribus specialibus, aliisque episcopis, praelatis et clericis tam secularibus quam religiosis in Kalis, opido nostrae Gneznensis dioce-

cessis, in curia nostra archiepiscopali in provinciali synodo pariter congregati, statutis antecessorum nostrorum omnino illaesisis, de unanimi et expressa voluntate atque consensu omnium et singulorum praedictorum, infrascripta statuta salubriter edidimus et ordinamus, quae statutis eorundem antecessorum nostrorum duximus annexanda.

### Caput 1.

Primo, quod deinceps futuris temporibus quilibet archiepiscopus Gneznensis, qui pro tempore fuerit, de triennio in triennium provincialem teneatur synodum, per se vel alium, convocare. Ipse quoque, et quisquis episcopus praefatae Gneznensis provinciae in antea, quolibet anno, semel in sua propria dioecesi dioecesanam teneatur, similiter per se vel alium, synodum congregare, eo anno excepto, quo provincialis synodus celebratur. Suasque dioeceses praefati archiepiscopus et episcopi visitari procurent, subditorum excessus corrigant, mores reformat, statuant et ordinant, quae animarum saluti crediderint profutura. Quod si forte, quod absit, praefati archiepiscopus et episcopi antedictas synodos, ut praemittitur, absque causa rationabili, quam in provinciali synodo tunc proxime secutura teneantur exponere, contempserint, neglexerint aut distulerint convocare, archiepiscopus provinciali neglecta centum, pro dioecesana vero omissa, ipse et quisquis episcopus negligens L marcas grossorum pragensium, numeri polonici et consueti, sine contradic-

tione seu difficultate qualibet, pro fabrica suae propriae metropolitaneae vel cathedralis ecclesiae, persolvere tenetur. Quas poenas, si archieписcopus centum marcas, elapso triennio, ipse vero vel quicunque alius episcopus quinquaginta marcas, anno elapso solvere, ut praesertur, non curaverit infra mensem, extunc suspensionis ab ingressu ecclesiae incurrat sententiam ipso facto, qua tamdiu ligatus permaneat, quoisque praemissa poena, in quam incidit, integraliter persolvatur, qua plenarie et effectualiter persoluta, sine alia absolutione, praedicta suspensio sit sublata.

### Caput 2.

Item volentes succurrere erroribus, quos experientia docente, didicimus temporibus nostris in aliquibus dioecesibus Gneznensis provinciae exoriri, statuimus: quod vigilia beati Mathiae Apostoli, si in dies carnisprivii evenierit, quoad jejunium et alia, ab omnibus observetur, et in alium diem per quempiam nullatenus transferatur.

### Caput 3.

Item quum plurimi pro notariis publicis se gerunt, quum non sint, et aliqui adeo sint rudes et simplices, quod protocola et instrumenta facere nesciunt, statuimus: quod nullus per amplius pro notario publico in provincia nostra recipiatur, nec officium suum requiratur, nisi per Ordinarium loci, vel alium de mandato Ordinarii

sit examinatus, approbatus et receptus. Alioquin instrumentis, per tales notarios scriptis, non credatur.


#### Caput 4.

Item, quod capitulum ultimum de electione, lib. VI. de cridis ante institutionem, et cap. *Quum inhibitio*, de clandestina desponsatione, de bannis ante copulam praemittendis ad unguem observetur.





# INDEX.

	<i>Pag.</i>
1) Synodus Siradiensis Fulconis Archiep. a. 1233 . . . . .	1.
2) Synodus Fulconis Archiep. a. 1244 (?) . . . . .	8.
3) Synodus Fulconis Archiep. incerti anni . . . . .	10.
4) Synodus Wratislaviensis Jacobi Legati a. 1248 . . . . .	14.
5) Synodus Siradiensis Janussii Archiep. a 1262 . . . . .	50.
6) Synodus Camiensis Janussii Archiep. . . . .	54.
7) Synodus Wratislaviensis Guidonis Cardinalis Legati a. 1266 . . . . .	56.
8) Synodus Budensis Philippi Firmani Episcopi Legati a. 1279 . . . . .	72.
9) Synodus Jacobi Archiep. a. 1285. . . . .	165.
10) Literae Jacobi Archiep. a. 1297 . . . . .	181.
11) Synodus Uniejoviensis Janislai Archiep. a. 1326 . . . . .	183.
12) Synodus Calisiensis Jaroslai Archiep. a. 1357 . . . . .	205.
13) Synodus Nicolai Archiep. a. 1406 . . . . .	219.









Biblioteka Śląska w Katowicach

Id: 0030000158475



III 567867

XX